B03/5

JOANNIS HENRICI
BOECLERI

CHARACTERES POLITICI

Velleiani.

ARGENTORATI

Typis JOAN. PHILIPPI MÜLBII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

An. Christiano

M DC XLII.

Viro Nobilissimo Amplissimoque

IOANNI GEORGIO STYRZELIO

Consuli Rotemburgico,

JOANNES HENRICUS BOECLERUS

S. P. D.

Quoties à Te litteras accipio, Vir Amplissime, quibus me subinde perhumaniter comiterque inuisis, toties cupiditate accendor, referendæ, si qua possim, gratiæ. Nam & eximiis rarioris litteraturæ monumentis auctiorem feci meam Bibliothecam, omnique officio, amicitiæ honore non destitisti hactenus me complecti. Accedit præclara eruditio, & maior omni eruditionis æstimatione Germanus animi Tui candor: in quo quasdam veluti reliquias prisci & melioris ævi agnoscere, & ad solandæ degeneris sæculi tædia sæpe soleo venerari. Nam de ceteris dotibus, quibus reip. & Musis, prope ex æquo prodes, non est huius loci sermonem ordiri. Venit ad Te ista pagina, nil nisi professionem obstrictæ voluntatis nuntiatura: cuius fidem,

fidem, ex veteri formula, vel hæc dextera fecerit, qua scribo & iungo fidem. nisi fors amica interpretatione, pignoris vicem obire credis posse CHARACTERES VELLEIANOS. *Quibus honori erit, præscriptum nomen Tuum Lectoribus ostentare: fauoris scilicet occasionem in Virtute Tua inuenturis, quam in scriptione nostra non inuenient. Commentatiuncula est scholastica, inter ceteros labores exercitationi Studiosæ Iuuentutis dicata: cuius dum tempora & profectus in oculis habeo, facile ornatum & pompam sepono. Alias enim fatendum est, multam magnamque in hoc argumentum subtilitatem cadere. cuius tamen, ni fallor, rudimenta, ante ipsam, discentibus commendanda sunt. Id quod Tibi amplius iudicandum relinquo: cui tam iucunda esse scio Academicorum conatuum qualiacunq; monumenta, quam prospera semper apud litterarum amatores, nominis Tui memoria erit. Vale, Vir Amplissime, & præclare remp. gere. Scrib. Argentorati XV Augusti, ann.* CIↃ IↃC XLII.

CHARA-

CHARACTERES POLITICI VELLEIANI.

CAPVT I.

Cap. I.

SIngularis est plane, quod iam alibi monuimus, *Velleii Paterculi* in describendis & veluti nota publica signandis hominum naturis diligentia. Hinc videre est descriptiones personarum & elogia ingeniorum, quæ subinde decenter vtiliterque historiæ suæ inseruit, philosophiæ politicæ plurimum, nec minus facundiæ continere, deniq; prorsus eo dirigi, vt per quosdam quasi *Characteres Politicos*, ab auctoribꝰ rerum atq; agentibus ad recondita & præcipua omnis actus in rep. principia proficiamus.

Velleianæ descriptiones laudatæ.

2. Hoc enim demum in prudentiæ ciuilis studio ad interiora negotiorum perspicienda apprime proderit, si non gesta modo & euentus, sed rationes indagemus causasque. è quibus, post supremam vim & gubernatricem, vel præcipua est, indoles hominum varia, ingeniorumque studia & propensiones.

vũ præsertim plurimum sit momenti ad ciuil. prud. in notitia animorum.

3. Cuius obseruationis amplissimæ ac subtilissimæ, non alios ferme habemus

quam præcipue Historici tradunt.

A

bemus magistros, quam Historicos. Plerisque aliis, partim negligitur, partim per transennam inspicitur, aut perfunctorie traditur nobilissima cognitio: Hi soli intellexisse primi & accurate videntur monuisse, quantum sit arcànum sapientiæ in NOTITIA ANIMORVM.

& inter eos in descriptionibus suis Velleius.

4. Exempli, vicem poterunt præstare, quæ *Velleius* nostræ commentationi suppeditabit. cuius descriptiones, modo memoratæ, plane nobis erunt quod diximus: *notationes* nimirum *ciuiles*, quibus non tam personarum designemus discrimina, quam fati publici momenta suis quæque locis disponamus.

Quem nos secuti ita hoc argum. tractabimus.

5. Potest equidem *Notitia animorum* etiam *priuato respectu* tractari, quatenus naturæ dotes, &, quo illæ excoluntur, vsus vitæ in se attenduntur; quali commentationis genere Eximiorum Hominum industriam pridem vidimus inclaruisse: Verum nobis omnia hic *ad remp.* dirigere animus est, in cuius commoda aut damna redit, quicquid in homine indolis artisque reperitur.

vt ad remp. omnia referamus.

6. Scilicet alia iuuant alios in eodem argumento. Nam & parentes propinquique, suorum ingenia in occasionem

nem domesticæ spei aut educationis nouisse, aliquando satis habent; & philosophantium curiositas, plerumque vltra naturæ, quam rimantur, adyta vix egreditur: At vero viri ciuiliter periti & prudentis obseruatio disciplinam suæ ciuitatis non tam in fori actionibus, in orationibus curiæ, in opere castrorum, quam in domo, imo in animo cuiusque perscrutatur.

7. Atque hic, cum diuersitas maxima inquirenti statim occurrat, prima curæ pars & in cetera subsidium erit, si paucæ & certæ classes quædam constituantur, in quarum ambitum cetera multitudo contribui vniuersa, & sua rursum serie ac partibus distribui possit. *Et quanquam non inutiliter vulgo ingenia diuidantur,*

8. Animaduertimus enim sane, plurimorum quidem ingenia & esse & appellari debere *Vulgaria*, quæ & numero plerunque & naturæ quadam humilitate æstimantur. his superuexit alios maioris indolis nobilitas, quos propterea *Eximios* ciues dixeris. Tertia *singularium & summorum hominum* sors est. quæ in excelsissima quæque & tendit & sufficit. iis *Heroicus Character* inde ab antiquo visus est competere. *In Vulgaria, Eximia, & Singularia siue Heroica,*

item in Bona, Mala, Mixta:

9. Solet & illud in consideratione hic venire, quod ex omni ciuium genere, quidam, prout ingenio vtuntur, *Boni*; quidam *Mali*; quidam *Ambigui & mixti*, merentur existimari, idque pro ipsa indolis diuersitate, ratione non vna, nec æquali deprehenditur euenire.

potissimũ tamen species harum partiũ singulæ seruari oportet:

10. Ad hos, vt sic dicam, ingeniorum ordines referri, potest ingens illa & multis seorsim nominibus distinguenda noscendaque varietas. ad quam interim potissimum & adeo respiciendum est, vt à tot generibus hominum, vsque ad ἰδιωλάτην φύσιν, qualem Tiberio Imperatori *Dio Cassius* tribuit, penetremus.

ea, quæ hic proponuntur, methodo:

11. Quæ cognitio vt recte nobis ac ordine succedat, id est, vt ad remp. & ciuilem prudentiam ex arte componatur, condiscendum erit, *Quid vnumquodque ingenium Publico minetur aut promittat: quibus artibus ac viis in destinata tendere soleat: quibus vel subsidiis promoueri, vel remediis impediri queat.*

cuius adminicula commemorantur.

12. Tenebimus hoc institutum in præsenti opusculo, & obtinebimus, spero. præsertim cum nec instrumenta nobis & subsidia longe petenda sint. Ipsa nos Historiæ philosophia docet, *naturæ inspectio-*

inſpectionem, euentuum obſervationem, negotiorum diiudicationem, imminentium diuinationem. Hæc ſi erudite non arroganter, cordate non curioſe exerceantur, rem præſtabunt in ciuili vita pulcerrimam, ne toties dicendum ſit, *quis putavit? quis prouidere rebus, quis obſtare fato potuit?* *Totius argumenti vtilitas illuſtratur*

13. Ita enim ignorantiam ſuam ac ignauiam velare homines ſolent, vt quidquid culpa & ſecuritate ſibi conſciuere, fato inuidioſe tribuant. Sane vero, multa nobis propterea fato immittuntur, quia fatum non præuidimus, non præuenimus. Quid ergo? an diuinam conſtitutionem humana interuertet ſollertia? Minime gentium. Sed nos improbitatem hominum à fato non diſtinguimus, & fortunam euentuum non cauſſis, ſed cauſſa æſtimamus. *exemplis errantium,*

14. Nunquam maius paſſa eſt deliquium Romana prudentia, neque crebriores ſoloeciſmos, vt ita dicam, politicos admiſere ſapientes, quam à Graccharum tempore tumultuum, vſque ad conſtitutum ab Auguſto Principatum. Centum circiter annis tum de cetero varie, tum in eo eſt præcipue erratum, quod verba potius attendebantur facundo- *& ſoloeciſmis politicorum:*

rum, quam ambitiosorum obseruabantur ingenia. Occidebantur Gracchi, sed tot superstitibus post Gracchos in vrbe Gracchanis ingeniis nemo obuiam ibat. Marium publica execratio detestabatur; sed, cuius opera Marium persequebantur, Syllæ non videbant Marianam indolem inesse. cui rursum verissime prædicenti, *Cæsari multos inesse Marios*, & creditum & regestum oportuit, quod de alio ominabatur.

15. Ludi simile est, ne dicam monstri, quod Antonium postea tam crasse pleraque molientem, tam male animum suum dissimulantem, nemo ferme intellexit, præter Ciceronem: qui ipsa viri impii præcordia in senatu primus detexit, & publice inspiciendum ciuitatis hostem præbuit. Idem, qui de Octauio, pæne puero, ea prouide auguratus est omnia, quæ is aduersus remp. & ausus deinceps & executus est.

quas nec perspicacissimus ille Cicero euitauit.

16. Verum ille ipse tam sollers ingeniorum Scrutator, parum nobis approbauit artem suam, cum, quod est apud Nostrum (2,62,6) *Cæsarem Octauium laudandum & tollendum*, diceret. Videris enim, Marce Tulli, optime quidem

semper

semper de ingenio potentium & dominationem affectantium iudicasse: verum nec de Populi nec de Senatus Tui, tot iam annorum consuetudine firmata indole, vllam eo tempore cogitationem suscipiebas, cum primo Dictator Cæsar occisus, postea, Octauius Cæsar occidendus, pulcerrimum Tibi facinus videretur. Nonne enim publici moris genius is iam erat, vt alternatione nouandarum rerum perpetua, modo euectum aliquem ad potentiæ fastigium cuperent homines, mox vellent deturbatum, & huius quoque voti compotes, rursum euecturi erant alium, licet imparem, eo fine, vt deiicerent. donec incidisset hæc vanitas in fatalem scopulum, quem iam debilitare nequiret. id quod in Augusti principatu merito accidisse, existimandum est. Ergo non tam Octauii, quam ciuitatis suæ (quæ in hanc inquietudinem auspicio tribunitiæ seditiositatis, inter assidua bella ciuilia degenerauerat) ingenium suspectare debebant eorum temporum sapientes. Obseruauit hoc præsertim & notanter monuit *Dio Cassius*: (*lib.* 45) qui & alias vbique incomparabili dexteritate, ingeniorum

arcana euoluit & remp. tractantibus aut tractaturis insinuat.

Inscriptionis ratio redditur.

17. Nobis ad rem ipsam accedendum est, cui, quod præfiximus, nomen suo iure videbatur competere. Nam ea designandi discernendiq; euidentia curaque vtitur Velleius, vt notis & Charactere quodam monstrare videatur, quem describit; et cum nihil hic spectet, præter παίδευσιν. illam πολιτικὴν, quam erudita Historia spectare solet, habemus sine omni curiositate inscribendi, *Characteres Politicos.* id quod è superioribus hoc loco disertis verbis, repetere visum est. Poteramus fortasse etiam nostrum consilium in declarationis parte adferre: qui ita hic versari constituimus, ne disconuenire indici scripturæ genus videatur.

& quam late pateat, monetur.

18. In quo hoc amplius notamus: Referri nostros Characteres non ad solas *ingenii dotes*, sed coniungi semper *artes animi & disciplinam vitæ.* Quippe quæ in ciuili actu, mutuis operis in vnam vim coalescunt: neque adeo hic, instituti ratione, diuelli possunt.

CAP. II.

1. INcipiemus autem ab iis, quos & *Velleius* Noster & sua facta primos faciunt, ac eminentissimos. Quales potissimum tres reperimus: SCIPIONEM AFRICANVM, IVLIVM CÆSAREM, AVGVSTVM. An *Pompeius Magnus*, an alii, in aut infra hunc censum collocandi sint, suo postea loco disquiretur. *Initio ab Heroicis ingeniis facto,*

2. Interim istos prorsus in Heroibus numeramus. Heroas nimirum hic vocare conuenit, citra omnem ethnicæ superstitionis respectum, viros inusitata & prorsus singulari atque admirabili magnitudine ingenii diuinitus donatos, artiumque præcipuarum promtitudine adornatos, & ad summarum publicarumq; rerum effectionem destinatos. *ostenditur quid per Heroëm hic intelligatur.*

3. Superuecta vulgi intelligentiæ sublimitas ea, & vix sapientibus suis penetranda, certe nemini gentilium satis penetrata est. Stupent & admirantur & pene adorant splendorem Heroicum, sed vsum & vim heroicarum artium ac finem, iuxta cum gnarissimi sciunt. *quod gentiles non satis assecuti sunt.*

4. Nobis, in transcursu talia fas est perstringere, ita videtur se res ea habere *veriorem sententiam exemplis declaramus.*

berè. Cum Deus, vt sub exemplo loquar, constituisset in solentem Persarum potentiam deprimere, Græcos vero, quibus & antea singularis præcellentiæ beneficia præstiterat, ad summi imperii dignitatem attollere, formauit, vt sic dicam, & finxit sibi virum, qui maximis rerum vel profligandis vel componendis condendisq; par esset. Atq; ita in *Arietem dispari-cornem Hircus* percussor & conculcator, in Darium Alexander immittitur. Sicut postea cum Græcorum potentatus aliarumque vitia gentium felicitatis suæ modum siue impleuissent siue fatigassent, Romæ *Iulius* nascitur: cuius immensa vis ingenii & pæne supra hominem artes, transferenda in Romanos summa rerum enitescerent. Prorsus vt ante in Carthaginis excidium Scipio exortus erat.

præterita descriptione plenioris.

Comment. Nepot. p. 34 & seq.

5. Diximus alibi, quomodo huius loci philosophia ad cordatam piamque grauitatem instauranda sit. Quare nec illa hic repetimus, quæ ad explicandam naturæ admirabilis præstantiam, ad enarrandas animi heroici artes pertinent. quarum aliquæ *Maiores* vocari possunt, id est, *Solidæ virtutes*, quales e. g. in

& artibus Heroicis tam Maioribus

Alexan-

Alexandro commendat diligentissimi stili Scriptor Q. *Curtius* 5, 7, 1. *Item* 10, 10, 5, 27 *&c.* aliquæ *Minores leviores*q; censeri solent, quibus tamen non minimum ad maiora robur inest, quæque dexteritati serii actus inuandæ ornandæque destinantur. Talia quædam in *Curtii l.* 3. *c.* 6 sub finem, comparent. *quam Minoribus:*

6. *Velleius*, vt in arctiore scripturæ instituto, *Minora* isthæc, quæ vocauimus, ferme subintelligenda è maioribus relinquit: Sicut ipsius verbis, quæ nunc adducenda sunt, manifestum euadet. SCIPIONIS tale est elogium *lib.* 1 *cap.* 12 quod fuerit, *Vir auitis* P. *Africani, paternisque* L. *Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniiq; ac studiorum eminentissimus sæculi sui: qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit, aut sensit.* His addi par est, quæ leguntur 1, 13, 3. *Scipio, tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit, vt Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæq; secum habuerit. Neq; enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit, semperq; aut belli aut pacis seruiit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis aut ani-* *ad descriptiones Velleii properantes. Vbi primus Heroïs deseribitur* Scipio.

cap. 2.

animum disciplinis exercuit. Vide etiam 2,4. Accedit his laudibus cumulus ex commendatione *L. Paulli*, & *P. Africani* (aliunde illa quidem satis nota, cum in fragmentis Velleianis non supersit) cum quibus hunc Scipionem comparauit. Interim aliorum quoq;, quibus tantum Virum designarunt, iudicia scrutari profuerit: *Ciceronis in Lælio cap. 3. Val. Max.* 2,10, 4 *It:* 4.3 13. *Eutrop.* 4. *Liu. epitom.* 49. *Appian. Libyc.* &c.

deinde I. Cæsar.

7. IVLIVS CÆSAR ita describitur 2,41,1 *& 2: Hic nobilissima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium ciuium excellentissimus, vigore animi accerrimus, munificentiæ effusissimus, animo super humanam & naturam & fidem erectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro sed sobrio neq; iracundo simillimus* (fuit) *qui deniq; semper & somno & cibo in vitam non in voluptatem vteretur.* Huc pertinet, quod 2,47,1 *tantas res gessisse* dicitur, *quanta audere vix hominis; perficere, pæne nullius nisi dei fuerit.* item, iæ de clementia eius habentur 2,52,4. 2,56,1 & 3; quæq; alia eiusmodi

di passim occurrunt; illustranda amplius, collatis quæ traduntur *Plinio* 7, 25. *Ciceroni pro M. Marcello*, *Plutarcho* & *Suetonio in Cæsare*, *Val. Max.* 3, 2, 19. 6, 9, 15. *Dion.* 44, *in laudat. funebr. Cæs.*

8. AVGVSTVM non quidem commemoratione laudum singularum; sed collecto velut in magnificam breuitatem, rerum amplissimarum titulo æstimandum proponit Historicus. *Consulatui Ciceronis* (inquit 2. 36, 1) *non mediocre adiecit decus natus eo anno* D. AVGVSTVS: *omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem.* Cetera sparsim & ex occasione traduntur. 2, 59, 4 *singularis indolem iuuenis* laudat: et mox insequenti cap. *conditorem conseruatoremq; Romani nominis fato destinatum.* qua occasione *cœlestem eius animum humanisq; consiliis superuectum* memorat: alibi sæpe, *virtutem*, *fortunam*, *lenitatem* aliaque extollit. Sed ea cuncta liberalius stilo signauere *Sueton. Aug. Dio* 56 *& passim. Aurel. vict. epitom.* 1, 19. *Hist. miscell. l.* 7. *& quicunq; ferme in eius mentionem incidunt.* *tertio* Augustus.

9. Vniforme in tribus istis ingenium, vel ob hoc ipsum non potuit nota distinctiore insigniri, & pro ceterarum de- *Quæ descriptiones paulo generaliius cœptæ.*

descriptionum arte in breuem iudicii ac differentiæ gyrum redigi, quia omnis præstantiæ capax, aut compos, supra reliqua potius collocandum, quam inter reliqua dignoscendum erat.

requisita tamen characteris Heroici satis insinuant.

10. Interim quædam hic obseruamus, quæ intelligi volunt Scriptores, cum de talibus loquuntur. Characteris nimirum Heroici τὸ καθολικὸν, τὸ δραστήριον, τὸ μεγαλοπρεπές. Nec enim vna alteraue dote eminent, vt plerique excellentes Viri, sed plurimis: & quocunque se intendunt, admirabili sui actus efficacia pertendunt: & splendorem suæ magnitudinis, non cum apparatu ostentationis, sed per venerationem operis, humani generis conscientiæ infundunt.

11. Hoc est, quod *omnes belli ac pacis dotes* in vno Velleius memorat: quod *vigorem animi, celeritatem bellandi*, ceteramque rerum moliendarum atque efficiendarum vim extollit: quod splendoris tanti admiratione pleraque alia *caliginem habere* contendit. Quorum non aliqua in vno è tribus, sed omnia in singulis animaduertere licet. Id quod tum Historicus Noster in contextu ope-

ris

ris passim, tum res ipsa in gestorum consideratione abunde declarat.

12. Verum age, *quid hæc ingeniorum, vt ita dicam, portenta boni maliue denuntiant Reipublicæ? quæ sperandi metuendique publice prudentia hic se pandit?* Memorabilis vtique & oppido fructuosa, sed difficilis eadem arduique plena conatus. Versatur enim hæc quæstio, in nobilissima sapientiæ ciuilis parte (illam dico, quæ prospiciendo diuinandoque totius reip. penetralia scrutatur) nec ab vllo, quod sciam, certa planaq; ratione hactenus pertractata est. Conciliare id nobis æquos iudices debet, si quid minus quam par erat profunde cogitatum, incommodius & imperfecte enuntiemus.

Prima pars commentationis, ex methodo supra 1, 11 indicata tractat: Quid ingenia heroica publico polliceantur minenturue.

13. Ac principio quidem, cum Heroum ortus, sicut supra monuimus, non sine fati cura consilioque existimandus sit contingere, vniuersim & statim Viro Reip. intento ea se suggeret cogitatio: *DEVM rerum omnium siue publicarum siue priuatarum moderatorem, constituisse magnis euentibus insignire ea tempora, quorum expectationi Heroum natiuitatem suppeditauit.*

vbi ante omnia Dei consilium pie cognoscendum:

14. Ita, cum rem Romanam, fortunan-

qui ipso Hero-

um ortu quodãmodo significat, magna imminere.

tunante cælo, illustre incrementum maneret, Scipio noster is erat, non tam hominum iudicio post euentum, quam destinatione supremi Numinis, ante fortunam, *cuius opera super totum terrarum orbem Roma efferret caput*: sicut Velleii verba notant 2, 4, 6.

15. Debuit postea toleratis magnis concussionibus & conuersionibus, suprema esse & eminentissima, antequam caderet, Romana maiestas. Huius tanti imperii excelsissimum fastigium, siue eius fastigii periodum præcipuam, qui sustineret, ingenti Viro opus erat. Atque huc Augusti illa *magnitudo incomparabilis* Velleio laudata 2, 36, 1, spectabat. hæc (vt *Mamertini* verbis huic proposito *accommodatis*, Nostri Auctoris breuitatem vel pensemus vel explicemus) nata erat, *admittere in animum tantæ reip. curam & totius orbis fata suscipere, & in tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo veluti terras omnes & maria despicias, viciſſimq; oculis & mente collustres, vbi sit certa serenitas, vbi dubia tempestas: accipere innumerabiles vndiq; nuncios, totidem mandata dimittere, de tot vrbibus & nationibus & prouinciis cogitare, noctes omnes diesq;, perpeti*

paneg. Maxim.

perpeti solicitudine, pro omnium salute transigere.

16 Quo respectu nihil prohibet arbitrari, somnium Q. Catulo & Ciceroni de Augusto adhuc puero oblatum (de quo est apud *Sueton. Aug.* 94. *Dion.* 45. pr.) prorsus à diuina prouidentia originem habuisse, monitura principes Reip. quantum esset, quod de publicis fatis statuisset. Nimirum

— *sunt maxima cordi*
Regna Deo, donatq; aliquid plus ille tyrannis
Consilii, quam priuata sit mente repostum.

sicut de præsagiis talibus autumat *Apollonius presbyter excid. Hierosolym. lib.* 1. Quanquam ea plerunque est hominum aduersus imminentes magnos & fatales euentus hebetudo, vt nec diuinandi prudentia diligenter, neque Numinis bonitate monituque reuerenter vtantur. Certè hi tales tantique Viri, quod coniectura assequi pæne debuerant, ne signis quidem & ostentis credidere.

17. Sicut autem omnia quæ homines agunt in ciuili vita, ita vel maxime memorabiles illi euentus, quibus fatalia publicarum rerum momenta, tanquam in cardine suo, voluuntur, vi

Magna, inquã, Pace belloque.

cap. 2.

bellorum partim, partim dispositione pacis continentur: quemadmodum ex omnis ævi historia contestatissime exploratum habemus. Quo fit, *vt propte τὸ καθολικὸν & ἡρωϊκὸν χαρακτῆρος, non minus bella & tropæa ominari debeamus de summis istis ingeniis, quam pacis & civilis habitus monumenta.* quoniam in vtrumque promti, à neutro penitus videntur cessaturi.

prævaletq; fere bellorum *expectatio.*

18. Præsertim cum bellorum semina passim latitantia vltro se exerunt (in qualia ferme tempora Heroes seruantur) vel vbi virtuti materia quæritur, & triumphorum amore pax contemnitur, aut non nisi victoriis petita optatur. Quo fit, vt inuoluatur resp. bellis bella parituris, & ex quiete nullam aut tardam laudem sperent, qui bellicis laudibus iam innutriti sunt. Secus, quam de singulari Traiani moderatione opinatur *Panegyristes c. 16.*

vnde fit, vt formidabilis, aliquando Heroica indoles sit:

19. Quocirca eam virtutis magnitudinem sæpius suspectam habere prudentes solent, metuque pro subsidio hic vtuntur. Quale quid (vt è propinquo exemplum petam) in electione summi Principis animo agitasse Treuirensis Elector videtur apud *Thuan.* 1. & *Sleid.*

Sleid. 1, cum de imminente Germaniæ fato præsaga voce admoneret.

20. Equidem non leues eius formidinis causſæ, quoquouersus animum intendas, se emergunt. Nam vt eximia præstantia eminere cernuntur Heroicæ naturæ, *ita suis viribus in vtramq; partem vti possunt* (quod de hominibus vniuersim monet *Aristoteles*, 1 *polit.* 2, *f.*) *nec paruo tumultu publica concutiunt, quoties in malum deflexere.* *quippe non minus in mala quam in bona potens*

21. Cupiditas enim hujuscemodi ingeniis vel præcipue insidiatur. Modo ambitione stimulantur, modo ipso potentiæ fastigio & licentia regni mutantur: et ab officio ac virtute in transuersum rapiuntur. *Est enim*, inquit *Cicero* 1. offic. 8: *in hoc genere molestum, quod in maximis animis splendidissimisq; ingeniis plerumq; exsistunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates.* & tum *maxime adducuntur plerique, vt eos iustitiæ capiat obliuio*, sicut paulo ante dixerat, omniaque vi & armis perturbent. *magnis occasionibus in sequiorem partem inuitatur,*

22. Nec adepti, quod cupiuere, capiunt, aut felicitate sua satiantur. Nam *fortuna, quos vni sibi credere coëgit, magna ex parte auidos gloriæ magis quam capaces fa-* *& sæpe abripiatur.*

cap. 2.

cit, Curt. 4, 7, 29. adeo vt dediscant naturam suam, Id. 3, 2, 18 & quod prosperitati potentium solenne est, *ad superbiam prolabantur ac tyrannidem.* Confer Tac. 11. A. 17, 3 & 11 A. 10, 5. Exempla habemus in *Cæsare* apud *Sueton. 76* & c. et *Octauio c. 13* & 15.

Deo interim, Heroicæ indolis auctore, non suppeditante malitiam,

23. Verum enimuero, quomodo hæc possumus timere, si credimus, Heroës à Deo esse, si diuinis ministeriis destinatos, sicut prædiximus? Sane tanta naturæ præcellentia originem è cælo trahit: sed enim non ita cælo alligatur, vt amittat virium suarum libertatem, vt declinare in malum nequeat. Itaque cum mala esse incipit, non à Deo est, quod degenerat; neque sic tamen non in bonum verti potest degenerantis malitia. Nam *in ejus voluntate summa potestas est, qui voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit potestatem, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. Augustin. de C. D. 5, 9.*

sed in bonum aliquod vertēte.

Debet porro diuinatio de bellus ex for-

24. Sed nos reuertimur, ad Prudentiam diuinationis nostræ, *quæ subin-*

de

de suas rationes ad reip. formam diriget. Nam aliter speramus aut metuimus in vnius imperio, aliter in plurium gubernatione. De Heroicis ingeniis, quibus plurimus in bella vigor est, plerumque magna & læta sperantur, si in spem sceptrorum & regnorum educantur. Censetur enim virtus militaris non parum vel auctoritatis vel firmitudinis Regibus addere. Vnde nec immerito in prouehendis ad eam dignitatem spectatur & requiritur.

cap. 2.

ma reip. *instituti.*

sic in Monarchia *bellica heroum indoles optabilis,*

25. Nota est memorabilis Moguntini Electoris & multum reconditæ prudentiæ habens oratio, qua apud *Sleidan. 1 comment.* cum de eligendo Romano imperatore ageretur, *Regi Galliarum,* inquit, *animi fortitudinem tribuunt: sed ad monarchiam illa spectat: nobis autem in primis est aristocratia retinenda.* Metuebat prudentissimus Vir non modo libertati Germaniçæ; quoniam ejusmodi ingenia μοναρχικώτερα & absolutæ potestatis studiosiora existimantur; sed etiam ne bellis crebrioribus implicaretur communis patria, verebatur. præsertim cum ea esset tum temporis rerum facies, vt Majestati reip. tuendæ, componendisque subnascentibus turbis

alibi formidatur.

pace videretur opus esse & quadam virtutis Imperatoriæ tranquillitate.

Quæres tamen suas exceptiones & cautiones habet:

26. Cauendum autem hoc loco vel maxime est, ne suspicioſius eam sapientiam quam prouidentius exerceamus. *Non prædamnanda, sed præcognoſcenda sunt Heroum ingenia: nec ad injuriam cuiusquam, sed ab iniuria metuendum est. Interim neq; metuendum sine spe, nec sperandum est sine metu. Quoniam non affectu, sed obseruatione constat hæc prudentia. Atq; ne omnia præcipias expectatione, subterfugias timore, obstat diuina prouidentia, quæ ad suæ arcana nec spem tuam nec metum admittit: obstat in ipsa Heroici ingenii similitudine quædam disparitas, quæ nec patet semper obseruationi ante euentum, nec facile aut satis vbiq; diiudicatur: obstat ratio status publici, cui nec læta semper prosunt, nec triſtia semper nocent.* Signate & notanter id monendum fuit, quod in toto hoc negotio attendendum vbique & subintelligendum est, etiam cum non monetur.

Atq; vt Principum heroicus vigor reuerenter æstimadus,

27. Abstinemus exemplis; ne prolixiores simus, quam modus instituti patitur. Id vnum addimus: si velimus Magnorum Principum indolem curioſius æstimare, nonne iis exemplum aduersus

suos

suos ciues præibimus, vt & ipsi plus quam debebant, timeant à magna & heroica suorum indole, fiatque quod est apud Historicum; vt *Regibus boni quam mali suspectiores sint?* Quam facile ita aduersus Parmenionem excitauetis Alexandrum aliquem?

28. Cui enim potius competet hæc circumspectio, quam ipsi Regi? qui suorum indolem ignorare non debet. *Quid ergo ominabitur, de vno alteroue ingenio Heroico, quod in ciuibus suis, aut in aula eminere conspicit?* An cum Tiberio apud *Tac. 1 A. 80, 4. ex optimis sibi periculum metuet,* atque ita odio, depressione, exitio aduersus illos grassabitur? Nequaquam vero. Reclamant diuina humanaque iura; minitatur iudicium posteritatis, quod inter tyrannidis notas, imo specimina, semper ascripsit eam suspicacis animi iniquitatem. Neque quisquam dubitare potest, quin tyranni tempora designentur, in quorum comparatione, acerrimus *Corbulo* aliquis pronuntiat: *Beatos quondam viros illustres! Tac. 11 A. 20, 1.*

ita, vbi in Ciuibus eminet, Principi nō est suspectandus.

29. *At*, inquiunt magistri dominationis, *ab eiusmodi altis spiritibus sæpe regno, sæpe regi periculum oblatum est.* Et:

quin potius exempla æquioris animi seruandā.

cap. 2. *quam facile à recta obsequii via in cupidinem dominandi & contumaciam efferuntur?* Caue vero, quisquis es, ò Princeps, ne præ-damnando fidem tuorum, perfidos facias. Id enim potius & ante omnia metuendum est. Dabo tibi Magnos huius cautionis auctores. Ille ipse Alexander M. cum nondum præceps esset ad deteriora credenda, Philippi medici fidem, etiam litteris amici suggillatam, nondum ausus est damnare, *Curt. 3, 6, 6 &c.* Et Darius, apud eundem Historicum, 5, 11, 11, tam sanctum & mitem se præbuit, vt, *difficilius sibi esse damnare, quam decipi,* affirmaret.

30. Infelix quidem fuit, quam innui, Darii bonitas: nec dubito, plerisque eam videri aduersum nos facere. Sed obseruare solent huius studii tyrones, *optimarum sæperationum applicationem non optime interdum, imo male instituí.* Vtique ex virtutis & magni animi præscripto fecit Darius, quod de fide præcipuorum amicorum suspicionibus aut credulitate nequaquam oportere iudicari contendit: sed quod manifestis & fidissimis indiciis ac denuntiationibus, vbi iam nec suspicioni nec credulitati

locus

locus erat, animum attendere noluit, in eo non æquitatem modo & bonitatem, sed ipsam quodammodo sanam mentem prætergressus est. Neque sic tamen aliter, quam vt eius boni, quod commendamus, opinione peccaret. cap. 2.

31. In aula Augusti, *M. Agrippa, parendi scientissimus sed vni; aliis sane imperandi cupidus* vocatur à *Nostro* 2, 79, 1. Magni huius viri vitium non ignorauit Augustus, nec suspicionis tamen sed patientiæ & bonitatis eam occasionem habuit. etiam cum non sine contumacia pareret ille, vide *Sueton. Aug. 66.*

32. Demereri beneuolentia fiduciaque & attollere dignis præmiis præstat eminentem indolem, quam deprimere suspicionibus & contundere. Id quod inter præcipua, & si tantopere occultationem amant, arcana consilia Principi suggerendum duxerim. Certe enim *neq; fieri potest, neq; si posset, iustum esset, vt viuidi & ingentes spiritus in ignauiam seruilem; consiliorum promtitudo in stuporem demutetur.* οὔτε τὸ γενναῖον δυσγενὲς, οὔτε τὸ ἀνδρεῖον δειλὸν, οὔτε τὸ ἔμφρον ἄνευ ὀξυῖ ποιῆσαι. ἀδύνατον γάρ. οὔτε αὖ τὰς φερεσίας τινῶν περικόπτειν, ἢ τὰς

quæ, ex Liuiæ consilio, longe tutiora sunt.

ἢ τὰς φιλοτιμίας ταπεινῶν μηδένα πλημμελούντων χρή : inquit prudentissima & virilis consilii femina ad Augustum, vbi de hoc ipso argumento differit, maritique animum à timore & suspicionibus domesticis liberat, ac vltro persuadet illam comitatem & æquitatem, qua postea summos viros complexus, non alia firmius ratione in officio eos continuit. Adi *Dionem* ‹‹.

licet interim non damnetur circumspectio principalis animi.

33. Non excluditur interim *ea Principalis animi prouisio, qua vt cetera sui imperii, ita indolem suorum & indolis vitia perspicit, obseruat, scientia & memoria complectitur : ad præcidendas elatioribus degenerandi occasiones, vbi opus fuerit, & dirigendam in obsequiorum promtitudine rectioris animi alacritatem. Sed prohibenda est hæc cura à solicitudine iuxta & suspicionibus.* Quorum illud magni, hoc boni animi est officium.

Iudicium de Principibus heroibus defendi tur.

34. Atque hoc pacto, sicut Principis est, non tantum de sublimibus ingeniis, sed de omnibus iudicare : ita de Principe præsertim Heroe, sicut antea monere memini, non nisi reuerenter & caute cogitari debet ac diuinari. *Existimare quidem de Principibus* (ait *Nazarius*

panegy.

cap. 2.

paneg. Constantin. A.y.) nemini fas est. nam *& in vestibulo suo inquirentem repellit obiecta veneratio, & si qui mentem propius adegerunt (quod oculis in solem se contendentibus euenit) præstricta acie, videndi facultate caruerunt.* Verum præterquam quod Heroica indoles semet ipsa subinde mortalibus reuelat & intuendam præbet; in ciuibus quidem hanc prudentiam ipsa faciet modestia innocentem: nam in id ferme comparata est, vt animus ad parendum & ὑπόθεσιν sui sæculi bonis consiliis erudiatur & præmunitatur. apud extraneos autem quid obstat, quo minus noscant magni viri & noscantur? quo minus Prudentium aliquis per orbem e. g. Europæum oculos circumferat, atque quæ ab ortu, à meridie, ab occasu, à septentrione sidera, & quid promittant portendantque, tanquam è quodam Heroicarum mentium cælo, coniecturam faciat?

35. Equidem, vt id fiat, partim ciuilis actus interest, qui non vulgaris consilii artes inde potest haurire; partim pietatis: quæopera Prouidentiæ eo rectius, quo diligentius (curiositatem semper exesse iubemus) mirabitur. *& extenditur.*

Nam

Nam domi tantum continere hoc ſtudium, ſicut multis decorum, pluribus neceſſarium eſt: ita vel propterea minus liquidam habebit diſciplinam, quod ciuibus ſuos Principes, etiam longe longeque infra Heroicam indolem poſitos, tamen vt Heroas æſtimare, more quodam aut per venerationem Maieſtatis libet. Ex quo principio etiam panegyrica prudentiſſimorum virorum eloquentia ſæpe interpretanda venit, ne quis vanitati ſtatim aut adulationi tribuat, quod à politicis & ingenio aulæ aſſuetis iam tum vniuerſim, & in officii ciuilis parte erat receptum.

In Plurium ſtatu *plerumque ipſa magnitudo ingeni heroici metum inæqualitatis mouet.*

36. Tranſeundum nunc eſt, ad alias imperandi formas, *videndumque in libertate, aut optimatium rep. mixtoue ſtatu, quid Heroum ingenia expectationis in publicum habeant.* Atque hic plerique ad *timendum* quam ad ſperandum ſunt proniores. *ne æqualitas ſtatus & honorum non capiant tam eminentia capita, atq; adeo ne ad oligarchian aut tyrannidem tanquam ad ſcopulum reſp. obhæreſcat,* verentur.

adeoq; perturbationis publicæ.

37. *Cicero* breuiter & diſerte expreſſit hunc affectum 1. offic. 19: *Vt quiſq; animi magnitudine maxime excellit, ita maxim*

xime vult princeps omnium, vel potius solus esse. Difficile autem est, cum præstare omnibus concupieris, seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maxime propria. Ex quo fit, vt neq; disceptatione vinci se, nec vllo publico ac legitimo iure patiantur, existuntq; in rep. plerumque largitores & factiosi, vt opes quam maximas consequantur, & sint vi potius superiores, quam iustitia pares. Declarauit id satis superque temeritas & ambitio C. *Iulii Cæsaris, qui* (vt rursum *Tullius* ait) *omnia iura diuina atq; humana peruertit, propter eum quem sibi ipse opinionis errore finxerat Principatum.* Nec *Octauius* postea aliam viam ingressus est.

38. Nam *Scipionis* exemplum spei viam aperit potius, ostenditque: *posse etiam salua libertate Heroum ingenia foueri, nec certiori ope ad magna attolli remp. quam Heroum humeris.* Vir magnus & memorabilis: & quem non ita efferauerat bellorum felicitas, quin pacem & calleret & amaret & tueretur. Testis nobilissima vox aduersus Gracchum reip. turbatorem, dominationis molitorem, & iis flagitiis tragicam cædem meritum. *Vellei.* 2, 4, 4. Quod si superuixisset amplius, habebat resp. quem insolentiæ

nisi quod, taliũ quoq; Rerump. incremẽta per Heroës Deus promouet, & statum conseruat.

&

& inciuili aliorum elationi, id est, infestissimo hosti intestino, non infelicius, quam olim externis armis, opponeret.

præsertim si integra & incorrupta sit ad huc reip. forma.

39. Deducunt nos ista exempla vltro ad nouam huius obseruationis cautelam. Non enim Reip. tantum forma & constitutio, *sed tempora quoq; ac momenta sanitatis, vt sic dicam, & infirmitatis expendenda sunt, vt prudenter speres timeasue in hoc negotio.* Audebo istud & credere & dicere: *Si Iulius Cæsar & Octauius incidissent in valentiora Reip. tempora si ante tantam publici status corruptionem vixissent, si inter Papirios, Fabios, Paulos, Scipiones denig; Africanos agitassent; plus erat, quod sperandum ex illis quam timendum publica libertas habebat.* Nunc cum tot ægræ ciuitatis mala, tot rerum nouarum exempla, acerrimarum mentium cupiditatem ad immodica & prærupta elicerent, facile, quales futuri essent, etiam cum summa ope se obtegerent adhuc dissimularentque, apparere prudentibus potuit.

Nam sicut tũ nullus ab Heroica indole metus:

40. Scilicet nemo repente & vno impetu libertatem, cui adhuc suus honos constat, vel inuadit vel conuellit. At vbi collabefacta iam libertas vix

suum

suum nomen, nedum statum tuetur, cum turbarum perpetua semina non suggeruntur sed pæne obtruduntur; cum legum, quibus tanquam vinculis humani continentur animi, nulla supereſt auctoritas; tum vero deteriores omnes licentia facit, & partim opinione boni, partim cupidine mali in noua & audacia consilia ruitur: quæ nec deserere, cum volunt, auctores deinceps possunt.

41. Itaque vt clarius loquar, *ne inter tentamenta ciuilium bellorum & reip. morbos ingenium aliquod Heroicum se in magna consilia & mutationem status spectantia intendat, aut si intendit, ne pertendat*, haud imprudenter cogitant, qui verentur. Rationes ex iis, quæ hactenus tradita sunt, obuia intellectione queunt percipi. Accedit, quod illa ipsa ciuitatum seditiositas, conuersionem rerum imminere, quodammodo portendit. Accedit, quod ingenia heroica vehementes in bella impetus habent, iisque proniores plerúmque quam pacis studio comperiuntur. Accedit, quod ætatis feruor, antequam deferbuerit, in acriora & nimia facile exæstuat.

ita in ciuitate ægra & corrupta non pauca timorem incutiunt.

42. Patitur tamen & hic locus *rursum tamen*

exce-

loquimur cum exceptione ingenii her. moderatioris,

ceptionem, tam *ingenii*, quam *fortunæ*. Nam & Heroibus aliquando admirabilis moderatio ingenita, velut æquissimo temperamento vim bellicam & spiritus excelsos à præcipitibus ausis continet. licet rarissima sit ea laus: cuius exemplum in Scipione nostro habemus. de cuius indole nulli heroum postponenda, etiamsi in ea, quæ Iulius attigit, tempora seruata esset, mitiora & moderatiora omnia sperassem, quam de Iulio.

ortunæ fa-ntioris.

43. Quod de *fortuna* addidi, cum interpretatione pietatis & modestiæ accipiendum est. qua de re iam præmonuimus. Nam non ita timendum est, vt plus prudentiæ humanæ coniectationi, quam prouidentiæ diuinæ gubernationi tribuamus; neque ita spes de hominibus ac temporibus abiicienda, quin in Deo perpetuam retineamus: neque de articulo mutandarum rerum tam solicite aliquid præcipiamus, quin differri posse interim meminerimus: neque animos cuiusquam tam in praua cogitemus præcipites, quin ad meliora possint, fato moderante, inclinari. Quæ cum similibus semper de Deo in oculis haben-

habenda. qui rerum publicarum prospera aduersa, sæpe quidem ordinaria, & quam homines vult cernere, via moderatur; aliquando tamen ipsis euentibus ostendit, se hic multa, hominibus ignoranda, sibi reseruasse.

44. Supereſt, vt *expediamus, quando incipiat hæc sperandi timendique diligentia, & quomodo progrediatur.* Breuiter: *sicut ipsa indoles Heroica in puero statim & adolescentulo fulget & exsplendescit, rebusq; primulum admota clarissima sui statim experimenta præbet, successu accenditur & pleno rerum actu exultat, nec senio (si huc peruenit) ad minora deinceps sed moderatiora vertit: ita prudentis nostri animus expectationem suam de Puero auspicabitur; in adolescente, aut res agente, distinguet ac ordinabit; è rerum euentibus consummabit pariter & moderabitur.* Nimirum & cunabula virtutis Heroicæ; & adulta firmitas, & fatalia siue spatia siue momenta, suam singula similiter, sed non similem obseruationem habent. Incipit *autē hæc prouisio diuinantis animi.*

45. Quis enim non cum legatis Perſicis, Alexandrum aliquem puerulum, maiora omnia quam pro ætate interrogantem differentemque audiens, *ab Heroū puertitia.*

summi & Viri & Regis hæc putet indicia? *Plutarch. Alex. & de fort. Alexand.* 2.

& adolescentia:

De Eumene *Nepos* 1,4. *Fulgebat*, inquit, *iam in adolescentulo virtutis indoles.* De Philippo *Iustinus* 7, 6, 1. *Vt est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit: & propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum; & propter veterā Macedoniæ fata.* Nec minus inusitatæ virtutis expectationem merito mouit

progrediturq; cum actu rerum.

Agesilaus, cum inter regni initia, animosissimi de bello in Asiam transferendo consilii auctorem se & actorem offerret. *Xenophon. orat. de Agesil.*

46. Atque, vt ad nostra exempla redeamus; summa, quam Iulius Cæsar de Octauii pueri ingenio conceperat, spes adoptandi consilium homini suppeditauit, teste *Dione* 45. Ipsius Iulii indoles tum aliis multis rebus mature, tum in captiuitate apud piratas & vindicta captiuitatis eius, idonea dederat *documenta tanti mox euasuri viri*, sicut *Noster* loquitur 2, 42, 2. Quamquam, cum de eo ciuilem vitam ingresso omnia magna ominarentur multi, dubii tamen inter spem & metum hærebant, ad sperandum aliquando pro-

ex qua, licet non sine difficultate,

niores

hiores. Nota Ciceronis vox est apud *Plutarchum in vit. Cæs.* Cum enim sub comitate & læta indole Cæsaris, non parum latere acris spiritus & promtitudinis animaduertisset (quæ res non minus suspecta aliquando prudentibus est, quam maris, tempestatem meditantis, tranquillitas) *ê cetero quidem actu*, inquit, *& institutis huius viri prorsus coniicio διάνοιαν τυραννικὴν, regnig, voluntatem ac dominationis consilia agnosco: at cum tam compositè ornatam comam considero, cum ipsum vno caput digitulo scalpentem, adeoque & gestu delicatum & habitu conspicor, nequeo adduci vt credam, in animum tam mollem dirâ euertendæ libertatis consilia cadere.* Non satis constanter coniecerat ingenium hominis Tullius: nec satis prudenter ab ingenii consideratione, occasiones dominationis moliendæ abunde emersuras disiunxerat. *Scipionis* denique magnitudinem, adolescentiori ætate ostensam, recta & felici diuinatione fato perituræ Carthaginis destinabant Romani, neque vnquam prudentius lex personæ cessit, quam cum ille ante annos lege requisitos consul fieret: vide *Appiani Punica.*

47. Sed non immoramur, eiusmodi experimentis aut signis heroicæ naturæ, vel ante vel in rerum actu editis: quippe qui descriptionem Heroum, quo commodissime ista referuntur, iam supra aliunde petendam monuerimus. Hic ea tantum tradenda videbantur, quæ possunt prudentiam viri ciuilis de Heroum iam cognita indole in futurum admonere: variaq; obseruationis in vtramque partem momenta subministrare. Quorum pleraque ἐκ τῶν πολιτευμάτων ex reip. habitu actuque publici contextu, de quo mox agendum, satius est petere.

amen præcipiendic atur.

48. Nam cetera adminicula, vel incertiora sunt, vel ad aliam pertinent scientiam. Vt, *si quis de heroica geneſi actuque ex astrologorum decretis coniiciendum contendat.* Quam rem, multa sunt, quæ viro prudenti suspectam debent reddere. præterquam enim, quod astrologus nemo adhuc tot philosophorum pariter ac theologorum, prisco nuperoque æuo, eam vanitatem redarguentium rationes euertit: etiam illud liquidæ cognitionis est, *nec fortasſis fuisse, qui eam artem, si qua est, perdidicerit certa-*

Alii alia adminicula *quæ runt. inter quæ est* astrologia,

cap. 2.

certaq; scientia penetrauerit: sed (vt *Fauorini* verbis apud Gellium 14, 1 vtar) *coniectari pauca quædam παχυμερέστερον nullo sententiæ fundo concepta, sed fusa & vaga & arbitraria; qualis longinqua oculorum acies est per interualla media caligantium.* Repetit Philosophus in fine grauissimæ dissertationis eam admonitionem: *non enim comprensa*, inquit, *neque definita, neque percepta dicunt, sed lubrica & ambagiosa coniectatione nitentes inter falsa atq; vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eunt*, &c.

49. Non memorabo iam satis nota illorum exempla, quibus credulitas ista, exitio & iactura salutis stetit. scilicet, dum citra & contra destinationem Dei, Heroas mathematici (*quibus quæstui sunt capti superstitione animi*) faciunt, cælo iniuriam suam vindicante, magnis exemplis arguuntur, qui magna temeritate peccauerant. *At*, inquis, *nonne magnis Principibus illustre aliquando ad famam & venerationem heroicæ naturæ publicata cum astrologicis interpretamentis genitura?* Equidem reuerentius fuerit credere, factum hoc ab imperantibus, non quod ipsi ea credulitate te- *per arcanum alicubi admissa:*

nerentur, aut Prudentum quisquam teneri debeat, sed quod commentum, in vulgus nec inualidum, nec inutile antiqua & sæpe vsurpata arte, paterentur extare. De quo ipso more, vt & de aliis, quæ hic cogitari aut existimari possunt, lubens hac vice parco differere.

& vaticinia, 50. Sunt alii, qui cum illustre ingenium, tanquam sidus, alicunde exortum animaduertere, statim diuinationem suam præcipitant, & suas ipsi spes anteire student, *collectis & certatim accommodatis vaticiniis, tum sacris, tum incerta origine & fide disseminatis.* Hic, inquiunt, Heros mutabit fata felicium & miserias infelicium: hic ille est, qui promissas diuinitus clades, hostibus Dei inferet: hunc notauit Propheta illo textu; hunc Apostolus signauit illa voce; de hoc antiqua circumfertur prædictio: quæque similia exundantis affectus oracula faciunt, vt quisque, quod confinxit, timeat aut speret. Neque vulgaris tantum turba, sed clarorum sæpe virorum mentes tentat hic diuinandi pruritus.

51. Sane condonandum hic est aliquid

cap. 2.

aliquid vel simplicitati morum, vel innocentiæ propositi, vel infirmitati humanæ; dum modo constet: *prædictionibus extra verbum diuinitus reuelatum iactari solitus raro citra periculum fidem adhiberi, cautiusq; transmitti hæc talia & sine affectu præteriri, quam interpretando applicandoq; in occasionem superstitionis trahi.* Quod ad diuina pertinet oracula, cauebit prudentissimus quisque, ne ante euentum & consensum maximorum interpretum, ad certas personas & causas referat: gnarus interim, caput reuerentiæ Scholis Propheticis debitæ esse, *disciplinam quidem prouidæ pietatis ex futuris fideliter imbibere, sed articulos temporum & omnes impletionis circumstantias non curiose rimari aut præcipere.* Quam cautionem etiam exempla eorum nobis commendant, quos sustinuisse calculum alicubi, satius fuerat. Certe si hoc deuotionis & circumspectionis μυσήριον violetur, lata aperietur fanaticis vatibus porta, per quam in ipsa SS. litterarum adyta irrumpant, fædaque passim temeritate grassentur.

circa quæ cauere versandum?

52. Prodigiis & signis, quibus interdum monstrantur Heroës, non

& prodigia aut signa.

plane nullam æstimationem conuenire, iam suprà innuebamus: ne præpropere tamen, & solis, & superstitiosè attendatur, amplius hic monemus. Notus est mos fingendi, exaggerandi, corrumpendi denique talia varie: quæ omnia vigilantiam obseruationis debent intendere. Seorsim hic quæri potest: *an ignis lambens, quem vocant, ac visa circum caput flamma Heroëm indicet?* constat vtique exemplorum comparatione, *claritudinis id indicium ferme semper fuisse; verum heroicam statim claritudinem non præceperim: nisi accesserint alia quædam argumenta, quibus id, de quo forte cœpimus tali indicio cogitare, manifestius se nostræ coniecturæ suggerat.* cum præsertim iste ignis longe aliis de caussis possit & soleat aliquando emicare.

præsertim ignis lambens:

53. Interdum etiam *magni & mirabiles casus, è quibus seruantur, produnt Heroas*: cum vix dubitari possit, destinari summis rebus perficiendis, aut absoluendis, qui hoc modo proteguntur. Exempla in Nostris habemus. Iulius Cæsar, cum à Sullanis inquisitoribus ad necem conquireretur, & iam in manus ipsorum peruenisset, pecunia se redemit.

& magni casus;

demit. *Vellei* 2, 41, 2 & *Sueton. Iul.* 1. adde periculosam sed felicem eius nauigationem, apud *Vellei.* 2, 43. & aliam apud *Flor.* 2, 4, 37 & ingens illud periculum in Ægypto, vbi (verbis *Lucani* 10 *phars.* dicam)

— *Via nulla salutis,*
Non fuga, non virtus, vix spes quoq; mortis honestæ.

Sueton. Iul. 64. Octauii quoque iter huc pertinet, cuius meminit *Vellei.* 2, 59, 3 & vberius *Sueton.* 8, aliique (non enim hic multos nominare placet) item, quod captiuitatem imminentem somnio medici monitus euasit, Vellei. 2, 70, 1. ne de multiplicibus insidiis & coniurationibus nunc dicam, quæ omnes miranda fati cura sunt discussæ. Vide de talibus *Camerar. hor. subcis. cent.* 1. *cap.* 30. *Richteri axiomat. Polit.* 117.

54. Est, vbi *factis quibusdam singularibus nec indolis tantum æstimatione, sed altioris fati interpretatione pensandis,* mature futura magnitudo Heroum sperari animaduertique potest. Huc pertinet, quod Scipio Æmilianus in Hispania ex prouocatione victor, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostem interemit *Vellei* 1, 12, 4: quod *Constantinus* & singulariũ factorum, vt sic dicam, præludia:

M. adhuc adolescens, barbarorum ducem vivum cepit, & leonem ferocissimum vicit, adeoq; periculum, cui vtrobiq; Gallerii inuidia eum obiecerat, fatali virtute euasit. *Zonar. tom. 2. p. 246.* Cuius rei in Sacris illustriora & certiora documenta habemus. Nota est *Dauidis aduersus Goliathum victoria*, non gloriosior quam ominosior. Etiam Moysis factum, quo instinctus singulari & diuino impetu Ægyptium occiderat, cum significamento secuturæ cladis Ægyptiæ & vindicationis Israëliticæ, per Moysen patrandæ, accipi debuisse, ostendunt verba Stephani *Actor. 7, 25.* adde *Ambros. 1. offic. 36. Philon. 1 de vit: Moys.*

& exorta spõte opinio.

55. In hunc censum, venit aliquando *publica & veluti diuinitus immissa opinio, indeq; dimanans fama.* De Scipione *Appianus* in Punicis p. 66. scribit: θεόληπτος γὰρ τὶς αὐτοῖς (intellige στρατιώταις) ἥδε ἡ δόξα ἐνέπιπτε, Σκιπίωνα μόνον αἱρήσειν Καρχηδόνα; καὶ πολλοὶ ταῦτα τοῖς οἰκείοις ἐς Ῥώμην ἐπέστελλον. *Exercitus animos diuinitus occupauit hæc opinio, solum Scipionem eum esse per quem expugnanda foret Carthago. idq; multi ad familiares Romam*

nam perſcribebant. Sed cum nihil rumore & opinione vulgari incertius ſit, quippe quæ ſæpe ex vanitate ſycophantarum, aliiſque ſimilibus occaſionibus cooriatur, prudentiæ pars erit, *diffidere.*

qualia ſcire ſemper, non ſemper conuenit vſurpare aut attendere.

56. Verum quis modus fuerit tot obſeruationum, aut vſus? Quamquam omnino, ſi vſquam, cauendum eſt in hoc negotio, τὸ πρὸς ὀλίγα ὑποβλέψαι *ne ad pauca reſpiciamus*, quod ſæpe *Ariſtoles* in cognitione actuque ciuili notat. Atque adeo prorſum hic opus eſt homine *omnia audiente* (& obſeruante) *magna metuente, multa ſuſpicante, aliqua credente.* quali deſcriptione *Tullius in orat. pro Milon* 23, Pompeium, alio quidem reſpectu, ſignat. Itaque paſſim commendamus diuinandi ſollertiam, ſed prohibemus ſuſpicandi vafritiem; laudamus vbique obſeruationis induſtriam, ſed coniungimus eligendi prudentiam; intendimus ſpem, ſed moderamur fiduciæ; metum admittimus, anxietatem damnamus; minora non ſpernimus, magna ſectamur; omina non captamus curioſe, ſed caute admittimus; conſtantia ſemper vtimur, pietate vbique ducimur.

57. Ce-

Sequitur secunda huius commentationis pars: Quæ nam sint viæ siue modi actus heroici singulares.

57. Ceterum quæ hactenus de prouidentia siue diuinatione circa Heroës dicta sunt, multum explanabuntur & instruentur iis, quæ dicenda sunt in posterum. Nam vt peritius timeamus speremusue de Heroibus, obseruandum nobis diligenter erit: *Quibus viis artibusq; in magna illa vel consilia vel opera tendant pertendantque.* Qui locus vt recte tractetur, suis quibusdam carceribus includendus, & à confusionis occasione liberandus ante omnia videtur.

cuius considerationis institutum distinctius declaratur.

58. Non enim sane fert animus ire hoc loco per omnes *siue prudentiæ artes ac inuenta, siue calliditatis efficaciæq; vias atq; commenta, quibus aut reip. magnitudinem & hostibus perniciem aut sibi dominatum gloriamq; quæsiuerunt firmaruntq; aliquando Heroes*: neque etiam repetere constituimus, *quæ ratione pertinentia in superioribus attingenda fuerunt de actu heroico*: verum, *omissa enumeratione ac expositione singulorum adminiculorum, principia quædam actus heroici & instrumenta, in ipsa connexione sua & applicatione, adeoq; non tam ipsa, quam eorum ἐπιβολὰς & ἐπιχειρήσεις, mutuasq; operas & seriem*, iudicii de

cii de Heroibus informandi, iuuandæque prouidentiæ causſa, breuiter delineabimus.

59. Non fruſtra *cæleſte aliquid* in Heroum ingenio, etiam ii agnouere, qui altiora aut interiora iudicare nequeunt. Sicut enim Sol ille, cum multum præſtantiæ ſapientibus tantum noſcendæ habeat, pulcritudinem tamen ſuam, & vigorem, vt ſic loquar, pernicitatemque omnibus oſtentat: ita Heroum actus in plurimis rebus profundiore æſtimio penſari debet, *vigoris* autem ſui lumine omnium oculos menteſque vltro penetrat, cognatoſque cælo motus publice declarat. *Gaudent diuina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe veget æternitas, & quicquid homines vocamus laborem,* (Heroum) *natura eſt.* nam ad hos rectiſſime trahemus, arbitror, quæ *Latinus Pacatus paneg. c.* 10. de Imperatoribus vſurpauit elogia.

inter primas ergo notas, occurrit vigor ille Heroicus,

60. Intuenda erunt paſſim ipſa exempla viuidiſſimorum actuum, vt intelligamus *illam excitati & alacritate lætiſſima emicantis animi vim, qua negotia & conſilia non dicam aggreditur ſed complectitur; illam promtiſſimæ efficaciæ ſtrenuitatem,*

qui & animis attollit, & omnem actum iuuat ac honeſtat:

tem, qua opus ipsum non dicam molitur, sed pertractat; illud in difficultate robur, quo ne sentitur quidem difficultas; illud in omni habitu, gestu, labore decus, quo ita corpus animaducitur agere, vt anima in illo actu videatur spirare, eminere, fulgere. Itaque cum *Liuius* 21, 4 *vigorem in vultu* (Hannibalis) *vimque in oculis*, nominat, plura notare quam enuntiare credendus est. Quis enim ex illo vultu, ex illis oculis non cernit, vigorem acerrimæ mentis spiritusque indomiti vim emicuisse? Etiam *Curtius* 3, 6, 19 cum *vigorem militarem Alexandri*, in opere armorum, oculis militaris vulgi exponit, vigentem in omnia animum, siue *vigorem istum animi*, quem Iulio *Velleius* tribuit, & qui in oculos non nisi exterioris actus indicio incurrit, subinnuisse videri debet. Ipsum scilicet rei præclarissimæ nomen fecundius est, quam quod descriptione subtili facile possit exhauriri.

multãq; prorsus vtilitatem habet.

61. Nec minus late patent, quæ ad vtilitates effectumque huius vigoris pertinent. Si amorem hac ratione animis hominum, tanquam philtro quodam dixeris insinuari, vere sed parum dixeris. Ne otium & ioci & remissio-

nes,

nes, aliquid ex contemtu, imo ne aliquid ex otio, ex remisso trahant, vigore; qui remissa ad grauitatem intendit, præstabitur: ne seria ad molestiam, seuera ad tristitiam; aspera ad inuidiam, vt ferme alias fieri solet, declinent, efficaci quadam dignitate semper venerabilem faciet Heroem. Ipsi aliquando affectus decebunt eum, huius subsidii beneficio. Agnosco aliquid tale in exemplo *Augusti, qui vultu & aspectu legiones Actiacas exterruit*: Tac. 1. A. 42. 4. atque ita exterruit, non vt odissent acerbe infensum, sed reuererentur tam generose indignantem. sicut ante eum I. Cæsar

— *stetit aggere fultus*
Cespitis, intrepidus vultu, meruitq; timeri
Non metuens. Lucan. 5. v. 316.

62. Sed quid ad exempla delabor? à quibus breuitatis ergo prorsus temperandum est. Illud non omiserim hoc loco monere; *etiam alio trahi hæc exempla*, constantiæque *partim, partim* Auctoritati *tribui*: at nobis ostendendum erat, *non inter postrema vtriusque instrumenta vigorem existimari debere*. E. g. deme verbis, vultui, gestui vigorem. inuisum potius aut terribilem facies, *& alias virtutes animat.*

qui

qui grauiter obiurgat multitudinem, quam verendum & venerabilem,

Cum vigore mutuis operis coharet Heroica Celeritas.

63. Fallor an ex illo *vigore* expedita cogitandi agendique *Celeritas* oritur, certe sine illo non proficit. Certissimus Character Heroicus: idque exemplis testatum nouimus. Quocirca *Velleius* in descriptione *Iulii, celeritatem bellandi* non omittit. cuius admiratione *Florus* 4, 2, 6; *fulmini* comparauit virum: *quod vno eodemque momento venit, percussit, abscessit.* & euoluit imitatione erudita vim comparationis *Panegyristes Magni Herois*: quem perfecisse ait tot ac tanta *instar fulminis, quod vix conspectum venit, vrit, desinit, vt prius obuia accendat, premat, dissipet.* Atque hoc sensu *Hirci* illius Prophetici *pedes non tangebant terram.* cuius vaticinii sortem cum stupore orbis, *Alexander* impleuit.

multum illa quidem diuersa ab aliorum festinatione,

64. Quidni cum stupore aliorum? siue enim *discriminis* ratio quæritur; quod alii satagere, festinare, supra vires suas propemodum niti, præcipitare denique videntur, illud Heroës, celerius quidem, sed absque celeritatis labore & tormento, suo quodam more potius & indole, statim ingrediuntur,

statim

statim conficiunt: siue *miraculi magnitudo* spectatur, non opinionem modo hominum ante euentum, sed & post euentum fidem anteuenit, ac ideo vix inuenit, hæc celeritas. Ea sufficit ad occupandos rerum transitus, qui maximis semper, sed aliquando breuibus (præsertim si strenue peragantur) difficultatibus obsidentur dicam, an insidentur: ea pacis controuersias, belli perplexitates aut dirimit aut soluit: ea admirationem semper vel simplicioribus inculcat, vel sapientioribus relinquit, cum raro prudentissimorum coniecturas admittat. *& prorsus mirabilis.*

65. Nisi quod eo ipso admittit, dum non admittit. semper *in anteces-sum temporis*, vt sic loquar, hic timendum ac sperandum est. Multa in Iulio, multa in Octauio præuiderant Romani sapientes: sed existimabant, longius abesse quæ præuiderent; neque celeritatem tantorum Virorum ad Heroicæ indolis promtitudinem, sed ad sui ingenii captum exigebant. Ergo præuenti sunt, partim quidem fato (est enim in Heroica celeritate aliquid, quod, cum altiore qua- *eoque coniectationis diligentiam requirit.*

dam vi succeſſuque interdum rapiatur, nemo hominum prouidendo aſſequitur) partim ſuo merito, quod anguſtius, quam pro natura rei, de qua loquimur, & tardius, quam exempla monebant, iudicauere.

ſicut & Impetus Heroicus:

66. Sicut autem *celeritas* iſta *vigore*; ita *Impetus*, quem Heroës aliquando pro vehiculo vſurpant, vtroque opus habet. Quem vt explicemus quodammodo, perſpicuitate potius vocabulorum, quam ſententiarum elegantia nobis vtendum intelligimus. Aliquando enim *audaciæ & temeritatis*, plerumque autem ἀνομαλίας *cuiuſdam & diſceſſus à regula* ſpeciem habet: neque tamen interim *efficacia* potentiſſimus eſſe deſinit. Quæ omnia non parum difficultatis habent.

qui aliquando audacia vi etur, nec eſt.

67. Sane ſi quis negare velit, aliquid audacter & temere ab Heroibus, aut, ſi in exemplis manemus, à Iulio, Octauio, Scipione factum, is ſupra humanam eos ſortem collocabit, id eſt, plus quam Heroas faciet, ac hiſtoriæ geſtorumque fidem deſtruet. Rurſum, ſi quis omnia, quæ videntur audaciam aut temeritatem præferre, hoc calculo damna,

damnabit, is non recte impetus heroici vim ac indolem videbitur æstimasse.

68. Credidere nonnulli, *Heroas ad audenda, quæ sine temeritatis nota non videntur attrectari posse, interno & diuino quodam motu impetuq; stimulari, nec carere præsagio euentus, ingentem illam fiduciam.* Quod sicut de illis verum est, quos Deus propiori confortio amauit, suique cultu & amore imbuit: sic in gentilibus rarius & ita locum habere existimandum est, vt vix *tuto, firmaque ratione* aliquid iudicari possit. Videtur hic potius de ingente *fiducia sui*, & *maioribus*, quam quos animus minor capit, *motibus*; quos *vigor* ille acriores, *fortuna*, de qua mox dicetur, efficaciores tutioresque facit, cogitandum esse. Accedit, *quod sæpe in partem prudentiæ venit necessaria, vt sic dicam, temeritas*; sicut Alexandri, præcipiti in speciem consilio, seditiosos compescentis, exemplo patet apud *Curt.* 10, 2, 30 & *Iulii Cæsaris* facto, pari fiducia imperium exercentis, cuius antea mentio illata. Multa interim sunt, quæ his rationibus non queunt excusari, sicut prædiximus. *pendet enim ab altioribus causis:*

69. Quemadmodum enim ve- *quæ intuenda per generosi-*

tatem iudicii, non fingenda per superstitionem.

rissimum est, Heroicos motus impetusque non posse nec debere, ad communem ingenii actusque humani modum exigi: ita neque illud ignorandum est, Diabolum tantis ingeniis, in mala scilicet, si ea prætulerint, plus valituris, studiosius insidiari; cumque etiam hic locum habeat verbum poëtæ, quo *faciles motus mens generosa* dicitur *capere*, dubitari non potest, *facilitati motuum affectuumque, facilitatem delinquendi valde vicinam esse.* Quapropter opus est ex vna parte, *æquitate iudicii & modestia*, ex altera *generositate & prudentia.* Quam multa enim & magna sunt, vt in plerisque humanis rebus, ita vel maxime in maximis, quæ nescimus? cum præsertim, quos Diuina sapientia peculiari consilio tantis dotibus instruxit, eos secretiori etiam gubernatione videatur complecti. Ex diuerso, superstitionis fuerit, si nihil humani in Heroëm cadere, quem Deus & inter homines & hominem esse voluit, quisquam in animum induceret. Quod vtrumq; ethnici non vitarunt. Possunt inspici, huius rei gratia, quæ *Richterus axiom. pol.* 139. collegit.

70. Nisi

70. Nisi valde nobis properandum esset, illustre exemplum ἀνωμαλίας, sub acumen stili hic vocari posset. *Velleio* disquisitionem & iudicium suppeditante. *Adoptauerat C. Octauium Iulius Cæsar, heredemque rerum suarum testamento reliquerat. Interfecto Iulio, res erat periculi plenissima adire hereditatem. sed adiit tamen, suis nequicquam dissuadentibus, Octauius.* idque *Dio Cassius, temeritati* tribuit, eosque qui felicis euentus respectu laudarent hæc consilia, redarguit *lib. 45. pag. 308*: *Velleius Noster* (licet fortasse affectu & veneratione erga Augustam domum dictante) *fatale aliquid* in hoc Octauii proposito agnoscit 2, 60, 1 & 2: *sed asserebant*, inquit, *salutaria reip. terrarumque orbis fata conditorem conseruatoremque Romani nominis. spreuit itaque cælestis animus humana consilia*, &c. *Dio* regulam communem secutus in re ac ingenio minime communi, vix potuit non errare aliquatenus: *Velleius* ad profundioris prudentiæ sententiam, non consilio sed affectu delatus, auctoritatem sibi, si non rei, quodammodo detraxisse videtur. Nos, ponderatis omnibus, quæ nunc adduci nequeunt, in hoc

Interim certũ manet, Non esse omnia Heroum facta ad communem regulam exigenda.

cap. 2. Octauii consilio prorsus *singulare aliquid & Heroicum & respectu temporum caussarumque fatale* agnoscimus, eaque mente verba Velleii, non affectum, nobis vindicamus. non quod ex euentu modo iudicandum existimemus (quem morem recte reprehendit *Dio*) nec, quod omni labe caruisse animum Octauii propositumque credamus (quid enim in humanis consiliis vitio imbecillitatis intactum?) sed quod bonas rationes videmus, quæ potuerunt adolescentem mouere, impetumque hunc curæ Diuino numini fuisse non obscuris argumentis colligimus: quanquam postea, ingressus rem ipsam, multa ambitione ac vafritie, se & suas actiones consiliaque fœdauit. Quæ interim nequaquam confundenda sunt.

Impetum Heroic: comitatur Fortuna singularis.

71. Ceterum vt *impetus* ille, de quo modo dictum, *sit efficax & vbique penetret, singularis illa Heroum Fortuna præstat ac felicitas.* Ac de *Sanctis* quidem *illis Heroibus* res intellectu facilis est. Iuuantur ope diuina, illaque tanquam munimento induuntur, & tanquam alis prouehuntur, ac telis, vt ita dicam, armantur in destinati à Deo operis confectio-

non tantum in sanctis illis Heroibus.

cap. 2.

fectionem. atque in ea spei suæ arce veluti disponunt, ingentis promtitudinis, inuictiq; impetus præsidia. Quod non modo *vetustißimis illis temporibus quæ κατ' ἐξοχὴν Heroica erant*, & vbi non raro fortunæ huius certitudo & mysterium, Deo reuelante, patuit, conuenire putandum est, sed etiam in *aliis Piis Heroibus*, quos causæ grauitas, & conscientiæ religiose confirmatæ fiducia maximis rebus gerendis exercet, locum habet. At *in gentilibus* minus expeditam philosophiam habet hic locus. *Sentiunt tamen & illi Heroës suam fortunam.* vnde nota *Cæsaris Nostri* vox ad trepidum tempestatis periculo gubernatorem, qua metum eius castigauit: Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν. *Plutarch. Cæs.* Verum, si modus scripturæ pateretur, possemus argumentis ostendere *hanc cognitionem siue hunc Numinis fortunantis sensum*, non vacasse superstitione, aliquando naturæ & astris, aliquando virtutis magnitudini & merito ascriptum, nonnunquam in cæca euentuum fiducia, indagatione principis causæ omissa, substitere: &, si recte

sed etiam in gentilibus.

inimus rationem, videmus maximos gentilium ipsis successibus fortunæ, ad eius ignorantiam profeciſſe.

quod non tantum ipsi, sed & reliqui intelligunt.

72. Etiam *alii agnouere hanc fortunam Heroum.* hinc eſt quod Hiſtorici, & *Velleius* Noſter, *Cæſarem & Octauium SVA fortuna* vſos, ſæpe oſtendunt; & interdum *cum fundamento ſententiæ*, coniungunt *virtuti* (v. 2, 74, 4) quaſi dicerent, Heroicæ fortitudinis magnitudinem & efficaciam, perpetua felicitate & inuſitata, veluti nota differentiæ, æſtimandam: interdum *celeritati fortunam* aſſociant (v. 2, 51, 2) præter id quod dixi, mutuam vim & conſpirationem quandam ſignificaturi. De *Scipione Appianus*, *certam*, ait, *opinionem fuiſſe* δαιμόνιον ἀνῆρ συλλαμβάνειν, *communicato quaſi cum Numine conſilio omnia eum agere, eiuſq; auſpicio vti tanta felicitate. Libyc.* p. 62. prorſus ſicut *Alexander* apud *Curt. 3, 6, 18, nil niſi diuina ope aggredi videbatur.* Adeoque ad *ſupremam* quidem *cauſſam* referebant fortunam Heroum gentiles,

fieri non ſine erroribus.

ſed mixtis rurſum variis ſuperſtitionibus & erroribus. id quod in *Scipionis* exemplo l. adducto licet intelligere.

73. No-

73. Nobis, vt verbo dicam, tenendum: *Etiam gentilium Heroas, ab eadem Prouidentiæ cura quæ eos excitauit, vt ceteris donis, ita felicitate singulari instructos: quam, si recte vtantur, in salutem populorum, ipsis concessam seruatamque, si degenerent in praua, ad pœnam populorum, non ademtam statim, fas sit existimare.* Quodque de barbarorum felicitate alicubi *Doctor Stridonensis* ait, *Nostris vitiis barbari fortes sunt*; idem de Heroum suis ingeniis in rerump. damna abutentium successu potest pronuntiari. *Sunt interim, non modo in dirigenda ad salutares vsus illa fortuna, sed etiam in ipso rerum actuque cursu moderando, non pauca, quæ prudentius ignorare cupiamus, quam curiose rimari satagamus.* Atque huius reuerentiæ erga supremi Numinis sapientiam instigamenta, piorum quisque in sua vita fortunaque quotidie, nedum in admirando actus heroici pelago, inueniet.

igitur verior & plenior sententia hic indaganda.

74. Nam prorsus hic plura admirantur quam capiunt homines. Estque adeo ipsa admiratio, siue *Auctoritas* non minimum ad res Heroico spiritu profligandas aut ordinandas instrumentum. Genuina soboles felicitatis:

Auctoritas in super Heroica impetrabilis usquequaque & felicis efficacia est.

quam quia non capit ingenii noſtri modus, admiramur. Quanquam hic omnia cohærent: nam & *vigor* ille, & *celeritas* illa, & *impetus* captu noſtro ſuperiora, atque ideo admirationis argumentum ſunt. Multa quoque alia quæ eminent in Heroë & ſplendent, implere animos hominum animaduertimus *non admiratione modo magnitudinis, ſed reuerentia cultuque maieſtatis cuiuſdam.* Atque hæc eſt illa *Auctoritas*, ſane etiam aliis, ſed minor, (ſicut & de felicitate ceteriſque iudicari volumus) conceſſa: *qua aliquando nomen Herois præſtat, quod aliorum arma non obtineant; qua abſentibus adeſſe, præſentibus oriri aut ingruere, foris, domi; pace, bello; viſu, auditu magnus, illuſtris, efficax* videtur. *hæc in proſperis ornamentum, in aduerſis leuamentum; in ſubitis pro conſilio, in difficilibus pro telo eſt: denique quod vix multa multis elaborando præſtant, Heroi, ſæpe in anteceſſum, ſemper eum pondere & inſtrumento ſequentium, conficit Auctoritas.* nec immerito: quippe venerationem cælo auctore conceptam, actuque Heroico confirmatam, tranſire in affectum, publicoque iudicio foueri ac intendi conſentaneum eſt. Atque

que hoc *in bello* pulcerrimum vincendi genus est, vbi ipso nomine famaque animi capiuntur, non vulnerantur ferro corpora: *in pace* ea glorio sissima imperandi ratio, cum non terrore validius & suppliciis, quam imperantis maiestate improbitas coërcetur. Ita *Scipio* Carthaginensium prius animos, quam muros debilitauit: ita *Cæsar* Romanæ Monarchiæ summiq; imperii reuerentiam ante quam vim gentibus ac nationibus conciliauit: ita *Augustus* fatalis potentiæ terminos per terrarum orbem, ad obsequia populorum non extendit modo sed illustrauit. Vnum enim aliquod è maioribus adferre libuit, vt hoc quasi compendio ceterorum enumerationem lucrifaceremus.

75. Hos agendi neruos (seu quocunque nomine grandius signari debent, quæ nihil in humanis simile habent) quantum robur comitetur, quoniam exemplis ostendere hic non licet, etiam inde fas est iudicare, quod neque ceterorum deficiuntur vllo Heroës, quæ rebus gerendis sunt idonea. Si ingenii nitendum est dotibus, hi sunt ingeniosissimi: si artibus animi & virtutum instructu, *Concurrũt denig, aliæ plurimæ dotes artesque.*

ſtructu, hi ſunt inſtructiſſimi. Prudentia ad agendum, virtute ad viuendum, non vt alii, ſed cum excellentia fati Heroici, præualent. Sicut ex diuerſo longe grauius, quam exemplo vulgaris exitii, terris incubuere, quoties in peiora degeneratum eſt. Etiam *Eruditio & promtitudo liberalis diſciplinæ* pleroſque Heroas iu auguſti operis ſui artes adornauit. De *Scipione Velleius* magnifice 1,13,3. De *Iulio & Auguſto Suetonius*, & alii paſſim. dignumq; cognitu eſt, quomodo Cæſar Octauium ſuum, in quo iam indolem Heroicam obſeruauerat, voluerit inſtitui, apud *Dion.* 45.

præſertim etiã prudentiæ & eloquẽtiæ ſtudia.

76. Nobis enim non conuenit egredi hic ad ſtudia *prudentiæ* præſertim & *eloquentiæ*: quam & ipſam Heroibus pleriſq; familiarem, & in vſus Heroicos neceſſariam (cum aliquando non minora oratione quam conſilio manuue conficienda Heroi videantur *v. Flor.* 4,2,10.) animaduertimus. Quæ res facit, *vt prorſus in donis heroicis Doctrina ſit numeranda.* Non, quod plane nullus ab hac regula excipiendi locus relinquatur, ſed quod plerumque ita comparatum ſit. Memorabilis eſt obſeruatio *Plutarchi in Ma-*

rio

cap. 2.

rio, sub initium: *si studiorum aliquem vsum ille vir habuisset, nunquam in praua & abominanda consilia, quibus laudes suas contaminauit, prolapsurum fuisse.* Nec desunt in recentioribus Historiis huius obseruationis exempla. Scilicet indomitos alioquin spiritus, & exuberantem, præsertim Heroum, impetum, doctrina non emollit quidem aut eneruat, sed temperat & sæpe regit. Nos cum abunde causarum habeamus, cur *Heroibus* Marium non annumeremus, *in proximo tamen Heroibus gradu, inter Heroicos viros conspici potuisse, si litteras, prudentiæ virtutisque magistras, non spreuisset*; ad exercendam studiosæ inuentutis cogitationem, hic pronuntiamus.

nam de Pietate, & simplicitate Heroum alibi cõmodius agitur.

• 77. Est præcipue *Pietatis* in actu Heroico efficacia singularis tam in dirigendis omnibus quam in patrandis: est etiam quædam, vt sic dicam *Heroica Simplicitas*, qua aliquando actuum sublimium profunditas vt velo obtendebatur: verum nobis nec de omnibus istis dotibus pertractare constitutum est, quod sæpe iam testati sumus, & sunt illa partim *Sanctis Heroibus*, partim *primæuis temporibus* propria: prorsusque digna,

gna, quæ cura peculiari, forsitan alibi, disquirantur. Nunc antequam hinc abeamus, quoddam *progressionis in actu* specimen, *per vinculorum, quibus caussa caussam, actus actum trahit, seriem* aliquatenus designabimus.

Quomodo ipsa progressio actus Heroici, *quibusdã connexionibus & vinculis continuetur.*

78. Igitur procliuis in magna indoles, cum vel accepit, fortuna quasi occasiones suppeditante, magnam exercendæ virtutis materiem, vel quæsiuit & sibi ipsa struxit (id quòd sæpe boni & iusti opinione, aliquando non opinione, sed reuera iusto bonoque titulo accidere potest) ipso successu non satiatur, sed ad maiores plerumque cogitationes attollitur. Qui affectus nonnunquam vsque ad supremum diem perdurat, Sicut exemplo *Iulii* Nostri eleganter & cum prudenti obseruatione ostendit *Plutarchus.* scilicet τὸ μεγαλοψυχὸν καὶ φιλότιμον καὶ πολλαὶ καθορθώσεις denique proficiunt in φιλονεικίαν τινὰ ὑπὲρ τῶν μελλόντων πρὸς τὰ πεπραγμένα: id est, *quando animus nihil modicum aut paruum spirans atque cupiens, multis magnisque operibus se ac suas vires feliciter expertus est, tum in fiducam sui amplius accenditur, incipitque secum quodammodo ipso contendere*

&

& nouis exemplis priora vincere. vt ipsos iudicii neruos è pluribus verbis hic proponam. Acceduntque magna inuitamenta. vel enim *imperii gloriæ, & reip. commodis studetur*, sicut Cæsar ab initio dum externos hostes profligat pariter & quærit. *vel ex tot meritis, quæ omnium maxime intelligunt ipsi Auctores, accenditur cupiditas præmiorum, vt nihil sibi non deberi, præsertim vero honores summos opesque credant, & dum credunt, habere quam expectare malint.* Magnum exemplum huius rei in magno Viro cum recitasset, subiicit *Thuanus lib. 2: id sibi tot victorias spondere atque adeo sibi deberi tum confidebat, tum vero & rem tentare honorificum & quodammodo necessarium existimabat.* Penetrauit, vt in aliis plerisque, Scriptor prudentissimus & veteribus comparandus ipsam arcanam ὑπόθεσιν Maximorum Principum, quibus non eximitur, *honorificentiæ plurimum habere, quæ familiæ prouehendæ, dignitati augendæ aut parandæ seruiunt consilia.* Tum autem in magna potestate constitutis frequens & facile schema necessitatis succurrit. ita opus esse, *vt maiestas imperii stabilis & efficax sit: vt negotiorum ob-*

uer-

uersantium aut emergentium moles fortius excipiatur, dexterius sustineatur: vt status reip. labens instauretur: vt dignitas attaminata vindicetur ac conseruetur.

79. Nam hoc postremum præsertim sæpe iactatur: idque *Iulii & Octauii* exempla luculente testantur. Neque abnuerim, *crebro talibus ingeniis, si non caussam, certe occasionem prætextumq; suppeditari, non magna modo, sed nimia moliendi.* Modo *obliquus aliquis Cato* (*Flor.* 4,2,9) modo, *aduersarius aliquis Pompeius, & studio partium ἀντιπολιτευόμενος siue obtrectator Scipio* (*Cæs.* 1 *bell. ciu. pr.*) modo *inconstans inquietusq; aliquis Curio* (*Vellei* 2,48,3 *&c.*) facem subiicit nouis consiliis, atq; adeo, sano & bono sensu,

— *iustos fortuna laborat*
Esse ducis motus & caussas inuenit armis.

sicut *Lucan.* 1, 265 loquitur. offeruntur etiam ex nec-opinato iustiores ingentium consiliorum continuandorum caussæ: vt *cum Cæsarem fraude & bello audent lacessere Ægyptii*, ap. *Vellei.* 2,54,1. *cum ad opem reip. dominatione Antonii oppressæ ferendam Octauius Ciceronis consilio, auctoritate Senatus inuitatur* (*v. Dion.* 45 *&* 46) ne dicam de *Amicorum instinctu, prodigiorum monitu*

monitu, similibusque quæ nunquam desunt magna consilia semel ingressis.

80. Possunt ex iis quæ diximus, etiam plura, quæ non dicenda nunc putauimus, coniectari & colligi. Quibus omnibus probe consideratis, *Prudentius*, vt arbitror, *sperabit timebitque de Heroibus, quisquis in eam curam suas cogitationes intendet.* Licet enim verissimum sit in omni re humana illud *Velleii Nostri* 2,75,2: *Quis non diuersa præsentibus contrariaque expectatis aut speret aut timeat?* tamen istud casuum *παράδοξον & ἀνόμαλον non debet impedire aut sufflaminare hanc diuinantis animi curam. Nam sicut diligentiæ & generositatis est, ad excipienda quæuis inopinata se comparare: ita *illud ingenii, si quis potest vigore mentis, præuidere quæ futura sunt, & tanquam ante oculos locare, quid possit accidere; & quid agere debeat, si ita accidit definire: interdum duo & tria simul voluere animo, quæ coniiciat, aut singula aut coniuncta accidere posse, & aut singulos aut coniunctos disponere actus, quos intelligat profuturos. Fortis ergo est viri* (addo, & Prudentis) *non dissimulare cum aliquid immineat, sed prætendere, & tanquam exp-*

Quæ obseruationes omnes licet aliquid incertitudinis habeant;

* inopinatũ & irregulare,

tamen ad officia Prudentiæ merito referuntur, sicut supra dictum est;

 plorare

plorare de specula quadam mentis, & obuiare cogitatione prouida rebus futuris, ne forte dicat postea: Ideo ista incidi. quia non arbitrabar posse euenire, quæ D. *Ambrosii ex* 1 *offic.* 38, verba sunt. Notum est Ciceronis elogium ex *Nepotis Attico* 16, 4: qui *non solum quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ postea vsu venere, cecinit vt vates.* eiusque diuinationis exempla præsertim in epistolis ad Atticum, de quibus Nepoti sermo, reperiuntur, vbi plurima similia illi loco de *Iulii Nostri* caussa *lib.* 8 *ad Attic. ep.* 11. προθεσπίζω *igitur, noster Attice, non ariolans, vt illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens,*

Iamque mari magno.

non multo, inquam, secus possum vaticinari: tanta malorum impendet ἰλιάς. Non est hic tamen obliuiscenda exceptio, de qua *supra* 1, 16 & 2, 46: vt vel inde difficultas huius rei cautioque intelligatur.

Tertia pars tractationis expendit: Quibus subsidiis promoueri, vel remediis impediri Heroum actus possit.

81. Interim cum bene erunt rationes prouidentiæ subductæ, longe difficillimum opus restat, *vt ii*, quorum præcipue curam & officium tangit vel illa spes, de qua hactenus dictum, vel ille metus, *recte se gerant, non tam in promo-*

mouenda Heroum indole ad sperata (nam ea se facile explicat sapientia) *quam in prohibendo Heroico conatu à formidatis.* Vt promoueantur Heroici actus alienis subsidiis, eo minus est opus, quo magis abundant propriis. *Impetrabilis* illa *efficacia* (liceat enim mihi forte hic *Ammiani* verbo vti) se ipsa prouehit & euehit, se instruit ipsa ad actum, & in actu promouet. Vt sufficere videatur hoc loco ad promouenda Heroum bona publicoque salutaria consilia: *Non obstitisse.* Quod ne fiat, non tam Herois quam obsistentis interest. Nam illum quidem nemo impune à cura Reip. retardauerit.

Et subsidia quidem promouendi actus potissima ex se habent Heroes.

82. Sunt tamen & hic aliqua, quibus prudentum animi suam Heroi promtitudinem declarare, suumque in promouendis bonis consiliis studium approbare, & possunt & debent. Vnum, & si forte, alterum specimen dabo. Cum duo Romani duces summi (Scipiones) in Hispania cecidissent, iamque qui succederet, summa cura legendus esset, nemoque reperiri posset, qui eam belli molem in se reciperet, tum Iuuenis Scipio annorum 24 (ille *cui tam grande de Africa*

nisi quod in hunc censum aliquando venisse leguntur. fauor & honor *publice exhibitus.*

cap. 2.

nomen fata decreuerant, Flor. 2,6,37. Noſtri per adoptionem auus.) in medium prodiit animumque Heroicum reip. obtulit, poſteaque ſui conſilii rationes ita expoſuit, vt facile appareret, non à temeritate iuuenili, ſed à generoſitate Heroica profectum, quod promiſerat. Recens is conatus, & perſona nondum ſatis in publicum intellecta ac profundiore notitia æſtimata erat. Quod ſi tamen maiorem ætatis, quam fauoris rationem perſeueraſſent habere Romani, ingens ſibi malum conſciuiſſent. Pars prudentiæ & felicitatis fuit, quod *omnem beneuolentiam & dignitatem ſummam* Scipioni detulere: eiuſque conſilia & tum & poſtea, non ſine veneratione actus Heroici, rata eſſe ac fauſta iuſſere. conſulendus *Liuius 26, 18 & 19.*

item, tempeſtiua legis aut conſuetudinis venia.

83. Atque hic, *non vſquequaque & adeo legibus nonnullis aut conſuetudinibus eſt inhærendum, vt Heroicis pro rep. molitionibus quaſi obicem, quantum quidem in nobis eſt, ponamus: quin potius eundum, qua fata & Herois virtus viam pandunt, non qua nobis ire optatius erat.* Laudauimus ſupra *Romanorum prudentiam*, qui in Noſtro

stro Scipione (*posteriore*) leges annarias non tam neglexerunt, quam tempori & negotiis cedere iusserunt. Contra ea *Thebani* non ab ipso modo Epaminonda, in exprobratoria ista excusatione (v. *Nepot. in eius vit. Appian. Syr.* &c.) sed à posteritate tota merito irrisi sunt, quod neque post euentum intellexere, *salubriter & Heroica prorsus prudentia violatam esse à summo viro legem populi, ne violaretur, imo subuerteretur Salus Populi.* quam plerumque nemo minus, quam populus ipse intelligit. Itaque *nullibi maius est Heroibus vel periculum vel impedimentum, quam in statu populari.* nam & de indole Heroica omnia in sequiorem partem ferme interpretantur, & de actu Heroico (quem neque capiunt scilicet) *crassius quam par est, iudicant.* cap. 2.

Qua obseruatio ad liberas præcipue ciuitates spectat.

84. Cuius rei exempla non alia terrarum dedit plura, quam *Græcia*; de qua hoc tantum nunc vacat annotare: *Ciuitates eius liberas sæpe suis incrementis obstitisse, sæpe decrementa sibi acceleraſſe, dum Heroum actus & consilia vel non promouent vel impediunt.* Est enim hoc quoque à iustitia fati non alienum, *vt in-*

grati erga Heroica munera & successus ciues, suis incommodis postea luant iudicandi sinisteritatem. In vnius imperio, minus hac admonitione opus est. Nam Heroem Principem plerumque prona parentium beneuolentia comitatur; & *reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque trahunt consiliis cuncta, non sequuntur.* quæ *Liuii* verba (ex 9, 18.) cum emphasi ad nostrum institutum possunt accommodari.

nam Monarchæ ipsi actuũ rerumque Domini sunt.

Inseritur arduaquæstio.

85. Sed, *hæc ad ciues tanti Regis pertinent*, inquis: *qui aliis quoque rationibus tenentur parere Regi ad maiora vocanti, eiusque consilia omni ope promouere.* Quid autem, *si in publico & late spectante negotio, vel conuersione rerum, Heros aliquis* (nam an talis sit constare vtique debet) *magnæ spei & ad plures populos pertinentis consilia agitat: an sciare opes & operam debent aliæ resp. & Principes, qui nec dubitant de propositi Heroici rectitudine, & indolem ipsam serio mirantur?* Magna & ardua quæstio; quam nec capio, nec definio. Itaque responsionem quidem hoc loco nemo à nobis expectauerit: verum si quid obseruationis huc facientis habet

ad quam non tam responderi quam annota si aliquid hoc loco potest.

Hi-

Historia, quam tractamus, & consideratio euentuum, quam in tractanda historia sectamur; non alienum fortean fuerit, cum venia prudentium in transcursu pauca quædam annotare.

86. Ante omnia, veteres memorias recognoscenti, assiduis ferme exemplis constabit: *Magnos rerum transitus ac conversiones facilius quidem præuideri, dum imminent; at vbi iam voluuntur, nihil difficilius ad captum hominum, nihil intricatius ad iudicium esse.* Possunt eius rei causæ satis perspici ab iis, qui hæc altius meditantur. *Non potest enim magna mutatio fieri, quin coniungatur plerumque aliqua violentia & rerum perturbatio: & in his omnibus versatur diuina manus, partim flagellis armata, ad quorum conspectum oculos & prudentiam submittunt mortales; partim operibus nouis occupata, quæ raro ante euentum satis intelliguntur.* Quo fit, *ut bonas aliquando rationes sequantur, qui in partes veniunt: neque male sentiant etiam ii, qui non veniunt in partes. Sicut enim quædam ad hæc talia instigant: ita quædam retentant. Atq; hoc est æqui-*

librium illud spei & metus: ex quo sæpissime nulla prudentia, sed fortuna aliquid eligit. Fallor an hæc consideratio, quæ late patet, maximisque exemplis fecunda est, *iudicium nostrum circa casus actusque humanos, ad æquitatem & prudentis veniæ promtitudinem temperare* potest. nisi quod in caussis temporibusque certioribus ac expeditioribus, alia existimandi methodus, ex indole rerum haud raro emergit. Interea, quantum ad Heroas ipsos attinet, *vel constituit DEVS perficere eorum propositum*; & tum exiguas opes maximis viribus superiores præstare potest & solet, ne dicam, quod sæpe alia, quam ipsi optabant sperabantue, subsidia quasi ex machina, vt est in prouerbio, excitare mauult: *vel inchoare ac ostendere tantum orbi voluit Heroicum opus & præsidium*; & tum Heroum magnanimitas libenter ad voluntatem diuinam, quam semper attendere conuenit, subsistit. haud ignara, *etiam inter eos, qui nescio quas vires & animos offerunt, plurimos non tam Heroum bona & generosa consilia sequi, quam suas occasiones speculari, & felicitatem potius caussæ suis rebus accommodare, quam iustitiam*

iam defendere. Quibus *haud paulo me-*
iores ſunt, vt arbitror, quos neque ex-
citat neque abſtinet calliditas, ſed ſoli-
citudo & perplexitas temporum à præ-
ſentioribus conſiliis diſcludit.

87. *Quod ſi autem in ſequiorem par-* Remedia inhibētia *quod attinet,*
em ſua conſilia flectere, & aduerſus ſtatum
eip. aliquid cogitare animaduertatur Heros,
uid & quomodo ex regulis prudentiæ inhi-
endum eſt? ſpectat hæc cautio cum pri-
nis *ad regimen Plurium, aut mixtas resp.*
iam in παμβασιλείᾳ, ſi quid innouatur
ut inſolentius vſurpatur, ciuibus pa-
ientia & immobilis erga principem
des, loco prudentiæ commendari de-
et. Ibi ergo, vt ſalutaris ἀντιπραγία
ocum habeat, primum & validiſſimum
iomentum *in tempore eſt. Principiis* *primum momentum eſt in* tempore:
ſtandum: nam quod ſemel hic conniuendo
anſmittitur, poſtea raro corrigitur. ſi ſe-
nda quoque molitio proceſſit, iam tertia
lmiſſa eſt: & ſic deinceps. Quæ circa
lii Cæſaris molitiones imprudentius
ſero Romani ſtatuerint, vide apud
an Heins. in orat. de C. I. Cæſare: vbi dili-
enter & perite hæc talia illis exprobrat.
os enim neceſſaria feſtinatio nuſ-
uam patitur ſubſiſtere.

secundum, in legibus.

88. Ceterum cum ſtatus libertatis aut mixta è pluribus reſp. omne ſuum robur & vim & quaſi animam *in legibus* habeat, igitur *tum* Legislatori & reip. conditori ab initio ſtatim accurato ſtudio prouidendum eſt, vt ea legum congruentia aptatiſque in mutuos & firmos complexus vinculis τὸ πολίτευμα emuniatur, quæ conuelli ſine conuellentis exitio nequeant: *tum gerentibus* remp. ſummopere erit annitendum, ne quid occulti, ne quid aperti vitii illa compages ſtatus ciuilis, & firmitudo legum capiat. Nam *in parte* φυλακτικῇ præſtantiſſima & tutiſſima prudentia conſtituitur: cetera *ſubſidiaria*, atque adeo incertiora remedia ſunt. quod *Ariſtoteles in Politicis* grauiter monet. In ſtatu rei Romanæ euidentiſſima eius fati documenta habemus. Facilius potuiſſet tam *Cæſaris* quam aliorum conatibus contraueniri, niſi legum maximarum & in quibus incolumitas publica fundabatur, auctoritas imminuta & *auxilium* iam *inualidum* fuiſſet. nam inter *certamina potentium & auaritiam magiſtratuum* pridem *vi, ambitu, poſtremò pecunia*

pecunia turbabantur. Tac. 1 A. 2,4. Quod enim supra diximus, *leges aliquando publicæ vtilitati in promouendis Heroum consiliis cedere*, & de *temporibus* & de *negotiis* diuersis intelligi debet: quo accedit ipsarum *legum distrimen* & *modus* à lege aut consuetudine declinandi. quod si consensu iudicioque reip. fit, non turbatur lex, sed dispensatur vsus legis; non conuellitur aut infirmatur, sed explicatur, suppletur, corrigitur pro re nata. sicut à quouis in exemplis antea allatis deprehendi potuit. Nos cum eam status corruptionem hic in oculis habeamus, quæ legum vim & vsum infirmauerat, supra id, quod modo de transmissis per publicam negligentiam Iulii primis molitionibus iure exprobatum diximus, etiam eo nomine Romanos arguere possumus, quod passi sunt huc recidere cuncta, vt extrema exempla aliqui possent audere, aliqui extremis remediis non possent propulsare.

89. Quanquam reuera, felicitatis nimiæ vitiis inquinati ciuitatis mores animique, & nunquam satis bona fide coalita potestas populi ac optimatium, *tertium in cōsideratione status publici.*

tium, concussis semel quæ vel mutuo metu vel communi periculo ac negotio olim continebantur, concordiæ pignoribus, non potuerunt, nisi per conuersionem rerum statusque, in legitimam formam ordinatumque corpus reformari. Hoc præcipue & maturrime animaduersum oportuit ab iis, qui adhuc aliqua auctoritate valerent & publico prospectum cuperent. nam e. g. ita facile potuisset intelligi, *non esse id tempus quo Heroica Iulii Cæsaris indoles, postquam tot meritis remp. obstrinxisset, vi & contumelia inhiberi deberet.* & obseruauerant hoc aliqui. igitur *Cic. 1 epist. 9 ad Lentulum, Resp.* inquit, *mihi videbatur contentionem, præsertim maximis rebus à Cæsare gestis, cum illis viris nolle fieri: & ne fieret, vehementer recusare.* nisi, quod postea priuati nonnullorum affectus, opesque Pompeii in deteriora valuere. Multo minus autem, post rem confectam, Cæsariš, data acceptaque solenniter fide rebus impositi, cædes iniustissima pariter & infelicissima, remediis formidata inhibentibus accenseri, nisi stultissime, potuit, sicut & deinceps facile erat

ani-

animaduertere : *non irritandum esse amplius Octauium.* Quin potius illud tempus iam postulabat, *vt vnum aliquem* (quemautem potius quam Heroëm tantum ?) *rebus suis præficerent, eumque in opprimendis tot reip. turbatoribus per omnia adiuuarent.* quod & Dio iudicat *lib. 46. p. 356.*

90. E quibus omnibus, si distinctius iam agendum sit, patet : *Quando Heros aliquis viris Prudentibus in rep. suspectus fit de consiliis mutandi status, ante omnia dispiciendum esse, an conseruari aut emendari possit ille status vt diutius subsistat : an vero vitia ægri corporis eo vsque peruaserint, vt conuersio aliqua rerum necessaria sit, & vltro immineat.* Quod postremum vbi euenerit, sicut exemplo Romanorum modo ostendimus, *non tam de inhibendo, quam de dirigendo ad optimas rationes Herois consilio cogitandum erit.* Vt, cum oligarchica certamina non possunt aliter sopiri, neque festa ciuilibus discordiis resp. aliter sanari, quam Monarchiæ subsidio, ibi sane reip. & *pacis interest, omnem potestatem ad vnum conferri.* quod, de Augusti Principatu, cum *Tacito* (1 *Hist.* 1, 2)

de qua regula hic traditur :

sius inuestigat, & in quo sæpe fallitur. Quo fit, vt remedia aliquando inclament homines, vbi nullis remediis opus erat. Nam, quod semel hic testor, plurimum interest, an de aperta seditione & seditioso turbatore agatur, vbi nota Politicorum monita obtinent: an vero de ingenii Heroici ea promtitudine, qua aliquando in suarum virium aut meritorum æstimationem longius euectum, erroris sui ea fomenta & instrumenta, in publico enata aut enascentia inuenire potest, quæ statui reip. formidabilia sint & periculosa. Denique quid Prudentia hic in futurum diuinare, mature obseruare, & bona solertique ratione vel munimenti loco opponere, vel remedii loco in tempore, & per momenta euentuum adhibere debeat, vt reip. aut minore motu conseruetur pristina facies, aut si id non potest, transitu minus exitiabili mutetur. Sicut & alias in omni medicina rebus publicis accommodanda diligenter cauendum est, ne curatione ipsa aliquid noui vulneris exoriatur.

Munitur hic locus adeoque totum caput distinctione *& cautione: reliquiis huius argum. in caput seq. seruatis.*

CAP. III

CAP. III.

I.

DIstulimus è superiori de Heroicis ingeniis tractatione in hoc caput, eam quæstionem: *An Pompeius, Cicero, aliique*, præter tres illos (Scip. Iul. August.) *Velleio memorati Heroibus essent accensendi necne?* Quæ disputatio, eo pertinet, vt accuratius intelligatur ipsa Heroum descriptio, & character excellentiæ Heroicæ paulo pressius examinetur. Qua in re prorsus magna latet difficultas: si præsertim consideremus, *plerosq; omnes in designandis & nominandis Heroibus tam liberales esse aut animosos, vt nec singularis fastigii Heroici raritas, quam sapientissimus quisque agnouit prædicaultque; nec distinctioris notæ proprietas, sine qua confusio vix euitari potest, satis conseruentur.* *Amplius, & sub exemplo, de Heroico character quæstionem:*

2. Nos, vt breuiter agamus, ante omnia necessarium existimamus distinguere, inter *Heroas & Heroicos viros.* *Ille* titulus præcise notabit id, de quo quæritur: *Hic* latius patebit, eamque naturæ præstantiam complectetur, quæ summum illud fastigium, non æquat quidem, sed attingit aut alludit. *Ille*, Scipiones, Iulios, Augustos, Alexandros, *distinctumque inter Heroas & Heroicos viros.*

& similes indicabit: *hoc* contenti erunt *Pompeius, Cicero,* aliique.

Cur supra Romulus non inter Heroas nominatus:

3. Ceterum vis & ratio huius differentiæ; exemplorum declaratione amplius patebit. Manentibus autem in Romana potissimum historia, primus occurrit *Romulus*, vrbis gentisque Romanæ conditor; non ille quidem descriptione memorabili Velleio narratus, sed narratus tamen. *An omittimus hunc in Heroibus recensendis?* Minime vero. Sane, quicquid Heroës magnos vel commendat, vel indicat aut significat, eorum nihil defuit Romulo. verum nobis animus erat, commentationem nostram ad *descriptiones* χαρακτηριστικὰς Velleii accommodare. Itaque, cum descriptio talis abest, neque expositio nostra locum habere intelligitur. Alias omnino in argumentum prægressi capitis veniissent, *Romulus* (cuius mentio ap. *Vellei* 1, 8, 4) L. Æmilius Paullus (1, 9, 3) & si qui alii tales obiter ac in transcursu ab Historico nominati sunt.

item Pompeius.

4. Inter eos, quos magnificentissimis laudibus, & tanquam Heroas, Velleius honestauit, Cn. Pompeius luculentum nactus est locum. vide 2, 29, 2 &c.

&c. 2, 31, 1. Sed nos inter Heroas verè & citra controuersiam ita nominandos non retulimus virum. *Primo* enim, non consentiri has laudes ab omnibus videbamus. Notum est illud *Sallustii* de *Pompeio in orat. 1. de rep. ord.* vbi *maiore fortuna, quam sapientia* fuisse dicitur; ceteraque eius magnitudo non tam animi, quam diuitiarum & famæ viribus adscribitur. *Deinde* licet *magnum & memorabilem virum, multasq; egregias in eo siue ingenii dotes siue animi artes* libenter meritoque agnoscamus: tamen infra trium, quos supra laudauimus, excellentiam haud dubie substitit; & nescio quomodo mihi actiones eius æstimanti, non successus quidem ad Heroum famam; sed singularis illa vis ingenii actusque ad Heroicæ sublimitatis mensuram, videtur defuisse. Id quod tamen prudentioribus relinquo altius cogitandum: non pugnaturus cum quoquam morose, si ad mentem Velleii & aliorum, Heroibus simpliciter accensere velit Pompeium. Nobis adstrictior loquendi ratio placuit: ne in illo prorsus summo fastigio plures gradus constituti, obscurarent huius loci philo-

sophiam. quæ sic admittit comparationem prope similium, vt aliquid incomparabile sibi suo iure reseruet.

& Cicero. 5. Suffecerit ergo forte, *Heroicos viros* appellare tales: sicut in CICERONE nunc amplius ostendendum est. cuius elogium, summæ sortis prædicationem ostentat 2,34,53. 2,66,3, & 6: Et profecto admiranda est huius hominis celebritas & magnitudo. verum vel præcipua Heroici ingenii excellentia in eo consistit, *vt non bello minus quam pace polleat.* hoc enim vere singulare & paucis concessum apparet. Quocirca licet *Cicero* ingenii celsitudine prorsus Heroëm spiret: tamen quia pacis artibus & ciuili habitu, non item armorum gloria excellere ipsi datum est, hactenus *primam illam sortem* non attigisse existimandus est. Possemus etiam profundius id discrimen meditari, in hanc sententiam: Obseruari potest, *Deum ter opt. max. summa illa & vere primæ sortis ingenia, quos Heroas diximus, ferme maximis in rep. euentibus, conuersionibus, mutationibus, amplificationibus conficiendis adhibere* quod in Cicerone non reperimus, adeo vt mirandum sit, hominem tanti nominis

nis tantæ prudentiæ, auctoritatis, tam parum vel in hanc, vel in illam partem præstitisse, cum resp. mutaretur. Dum enim modo fluctuat, modo dubitat, modo timet: semper intra conatum substitit, atque vix voluntatis suæ, nedum operis, certa vestigia reliquit. Loquor de illis temporibus, vbi Deus magnum illum fatorum reip. orbem circumegit. Nisi quis credat,

— ingentia consulis acta
Iurataſq; manus, deprenſaq; federa noxæ,
Patriciumque nefas,

tanti momenti esse, vt quibuscunque actibus, ad quos Heroës à Deo destinantur, comparari queant. Sed tum *illa prior ratio* nobis autem denuo vellicabit. De CATONE (cuius encomium extat 2, 35, 2) idem fere iudicium, quod in Cicerone vsurpari potest. Ingentes magni viri conatus plerumque frustra fuere. cum in Heroibus interim, perficiendi destinata efficacia & felicitas, non parum ad fidem singularis excellentiæ valeant. & Cato.

6. Quid de AGRIPPA existimabimus, illo Augusti adiutore, ma- & Agrippa

cap. 3. gno homine & admirabili? Equidem, quod in aliis præcipuum iudicandi adminiculum suppeditat, *maximarum rerum effectio*; hic locum inuenire vix queat. Prudentius enim sentit, qui eam *Augusti auspicio* tribuit. Sicut in exemplo simili *Horatius* 4 *Carm. od.* 14. Scilicet ad rerum Dominos, ordinarie pertinet ministrorum & adiutorum fortuna: aliquando etiam prudentia, fato suppeditante ministris cogitationem, Domino profuturam. Hinc adeo fit, vt fatorum ordinationem humana sequantur iudicia: & quam gloriam Deus in solidum vni vindicauit, eam cum adiutoribus communicare nos quoque dubitemus. Quæ res non parum obscurat Heroica Agrippæ, aliorumque opera: facitque, vt Heroicis potius virtutibus, quam Heroico auspicio, Heroibus præsto fuisse; heroicisque radiis quidem, sed ab Herois sole accensis, effulsisse videantur. Hæc, inquam, est via censendi de Heroicis ingeniis sub Heroe constitutis: quam inuenit sceptrorum reuerentia, & commendat arcana imperii tutela. Sed cum, *Aristotele* momente 3 *Polit.* 5, qui de re aliqua tractationem

susce-

ſuſcepit, non ea tantum reſpicere, quæ fiunt, actuique & experientiæ conueniunt; ſed illa quoque ſpeculari debeat, quæ interior rerum natura, & ſimpliciter ſpectata indoles continet: igitur neque hic prorſus abſurdum aut alienum fuerit, ingenium arteſque Agrippæ *in ſe* conſideratas examinare, *an ingens Herois nomen ſuſtineant nec ne?* Qua in parte clarius nobiſcum agit *Dio Caſſius* (*præſertim lib.* 53 *&* 54: quæ elogia deſcripſit in ſuum opus *Zonaras tom.* 2) quam *Velleius* 2,79,1. Sane, ſi vera ſunt, quæ *Dio* magnifice extollit in hoc viro, nemo eum Herois titulo venerari, amplius diſtulerit. An & MÆCENATEM? de quo Noſter 2,88,2. Non dixerim: & in promtu ſunt cauſſæ, ex iis, quæ hactenus diſſeruimus. & Mæcenas.

7. Interim, ſi in ipſis conſiderandis ingeniis permanemus, haud dubiam *Heroum* trigam dabo: *Marcellum* (de quo *Velleius* 2,93,2) *Druſum Claudium* (2,97,2) *Germanicum* (2, 116,1) Qui ſane, quo minus ad perfectum Heroum decus exſplendeſcerent, non indole ſingulari, ſed partim vitali ætate, partim auſpicio deſtituebantur Heroico. Fue- *Interponitur triga Heroũ.*

runt illi pars *inusitati splendoris Heroici, quo Deus Romanæ Monarchiæ initia illustrare voluit*: quæ magnificentia sicut exemplo caruit, namnec *Assyriorum*, aut *Persarum*, aut *Græcorum* dominatio tam multiplicato fulgore Heroicarum artium exorta est) ita diuturna non fuit, sed nec auctori tantarum rerum Augusto superfuit. Nimirum vt raro longa terris serenitas contingit: ita tantorum siderum lucem, magnarum tempestatum nubila mox exceptura erant. Ac de *Marcello* quidem, præcipue autem de *Druso*, digna Heroibus loquitur *Velleius*: *Germanici* laudes per adulationem, in gratiam Tiberii, obscurat; quas interim alii plenissime admetiuntur, adeo, vt *Alexandro Magno* comparari meruerit, apud *Tacitum 2* A. 73.

An Tiberius in Heroibus?

8. Sed cur TIBERIUM principem, qui Augusto successit, in Heroibus non nominauimus? Si *Velleium* hic audimus, nemo potior illo priorque. tam grandia sunt, & inusitata, denique Heroica, quæ in eo laudat. Sed quis vera iudicia de viuente principe promit? quod historia postulat à scriptore, vix admittit reuerentia in ciue: nedum adula-

adulatio cuius manifestum tenemus, quantum ad Tiberiana, Velleium. Quid? *Nonne & ceteri Scriptores magnam prorsus & singularem naturam, summasque artes Tiberio tribuunt?* certe. sed cum tali exceptione, quæ non patiatur eum cum Heroibus comparari aut coniungi. Acute & solerter *Dio sub initium lib. 57*: Τιβέριος δὲ φύσει ἰδιωτάτῃ ἐκέχρητο: *natura vtebatur penitus singulari & mirifica & cuius non alibi exemplum reperias.* Non erat in eo *vetus & alacris vigor ille Heroicus*, qui mores actusque Heroum honestat: sed obscuritas quædam cum difficultate & ægritudine animi ferme perpetua coniuncta. Non erat in eo *generosus & apertus animus*, qualem in plerisque omnibus veris Heroibus agnoscimus: sed abstrusa vsque ad degeneres latebras tristis & morosa vafrities: non modo à leonina indole, sed à vulpina astutia, in ignobiliora omnia depressa. Non erat in eo *placabilis animus aut vlla iræ veniæque permutatio*, sicut Heroës admodum quidem irasci solent, sed bona fide reconciliantur: quin potius irrevocabilis acerbitas, & insanabilis ira, perpetuas odiorum crudelitatumque

tempestates ciebat. Atque, vt verbo absoluam, *quam prope alias ad miraculum accedit Heroica natura: tam prope hæc accedebat ad monstrum.* Pæne est, vt dicam: *Orbi Romano, in Augusto quidem, quid Heroica indoles esset; in Tiberio autem, quid Heroicis artibus vel maxime aduersaretur, ostensum esse.*

Arminius *Heros.*

9. Supereſt, vt de ARMINIO, summo gentis nostræ & antiquo ornamento, quid sentiendum sit, exponamus. Describit eum *Velleius* laudatque 2,118,2 vt rari præclarique exempli virum: sed qui tamen infra Heroum excellentiam æstimandus sit. Nimirum *Romanis haud perinde celebris* visus est, *dum vetera extollebant, recentium incuriosi*, sicut obseruat *Tacitus* 2. A. 88, 5. idem, qui longe magnificentius de summi viri artibus & fato sentit. quod iudicium, vt ab hoste profectum maximi haud dubie faciendum est: quanquam supra auctoritatem iudicantis, iudicii ratio est, qua mouemur, vt omnino *Heroëm fuisse Arminium* dicamus. Illustrius & publice notius id esset, si Germanis scribendæ historiæ facultas aut cura fuisset.

nam

nam *Historialia* illa, vt sic dicam, *carmina*, quibus canebatur à popularibus, non valebant aduersus temporum casus & æui potestatem. Interim nec diuinæ destinationis consilia penitus videntur obscura esse: *quæ Romanæ ambitioni hunc obicem posuerat*, haud dubium LIBERATOREM GERMANIÆ (sicut & *Tacitus* elogium vere Heroicum agnoscit consentitque) nisi Germani seruitutis suæ fata sibi vltro accelerassent.

10. Ex iis, quæ hactenus allata sunt, animaduerti potest: *in æstimandis Heroibus attendere nos non aliam naturæ excellentiam, quam quæ vere & propriè summa est ac singularis; quæque rerumpublicarum fata potissima suæ magnitudini innexa habet, quibus scilicet tractandis diuinitus Heroës destinantur.* Atque hæc explicandi via accuratiori philosophiæ quam maxime videri possit consentanea. *Alii* animosius & laxius Herois elogio vtuntur, omniaque magna ingenia eo dignantur. *Aliqui*, comparatione quadam fatorum publicorum inter se, siue κατ' ἀναλογίαν, vt Schola loqui amat, Heroëm vocant, *quicunque in quocunque negotio ad remp. spectante magnum aliquid*

Distinctio vocabuli Herois, *ad intelligenda varia veterum scriptorum iudicia.*

cap. 3.

aliquid ausus & executus est. Sic *Homerus*, artis Poëticæ conditor; *Cicero* eloquentiæ; *Socrates*, *Plato*, *Aristoteles* Philosophiæ principes, & hoc respectu *Heroës* fuerint. Ita vidimus, post inductam Romano orbi vastationibus barbarorum barbariem, *Deum restaurandis litteris artibusque ingentes & per omne ævum commemorabiles viros excitasse*; quibus meriti tanti veneratio Heroum famam contulit. Qualia exempla, magnorum nempe ingeniorum certis artibus actibusque diutinitus cum auctoritate & successu adhibitorum, respublica tam ciuilis quam Ecclesiastica copiose suppeditat. Eadem ferme ratio est, qua obtinuit, vt *auctores demigrationum aut coloniarum, conditores vrbium & legum* pro Heroibus celebrarentur. Quanquam apud quosdam *superstitio*, apud plerosque *arcanum parandæ maiestatis* (sicut in tradendis originibus fieri solet) huic mori tibicinem suppositit. Etiam *familiæ nobilitas*; & frequentissime, *officii & magistratuum dignitas* hoc elogio mactantur: passimque *Heroum stemmata*, & *Heroici annales*, eo sensu leguntur. Denique, *quivis bello manuque strenuus, aut*

ali-

aliquem militiæ gradum adeptus, vulgaris iudicii comitate Heros salutatur. Sed nobis tandem ad alia pergendum est: postquam satis, & forte nimis, huic argumento immorati sumus. Scilicet blandiebatur nobis spes veniæ; si in tariore disquisitione non admodum restringeremus ea, quæ sub acumen stili sponte confluebant.

CAP. IV.

1. INter ceteros igitur *Præstantes & excellentes viros*, quos *Velleius* quodam descriptionis charactere insignivit, *primum* eos considerabimus, in *quorum ingeniis quædam ciuilitatis nota deprehenditur, cuius auspicio nec libertatem popularem auersantur, nec æqualitate Optimatium indelectantur: sed vtriusque commodis idoneos se & fauentes præstare possunt.* Tales ego censeo, *quorum eximiam indolem quædam prudentiæ & probitatis moderatio à nimium altis arduisque consiliis ad suæ reip. regulam cautosque & rebus præsentibus accommodatos actus attemperat.* Non cadit ea virtus in vulgares animas aut deflexa ad vanitatem ingenia. Nam vulgi quidem affectus in libertatem fertur, sed

Inter præstantissima post Heroas ingenia ciuiles, πολιτικοὶ, libertatis fautores hic memorantur.

sed inconsulte, & absque accurato ciuilitatis siue τῆς ἰσηγορίας intellectu. Plane, sicut Aristocratiæ dignitatem amare plures, quam tueri, aut ex arte gerere nouerunt. Vtrobique ergo modus, & ratio, & consilium, adeoque præcellentis naturæ grauitas requiritur.

in quibus Cicero & Cato:

2. Conducimus in hanc classem, CICERONEM, de quo *Velleius* 2,34, 3 & 2,66,3 &c. & CATONEM, qui describitur 2, 35, 2. Nobile par virorum & exemplorum. quippe in ipsa *libertatis morientis* tempora seruati, populi senatusque iura à seruitute & paucorum dominatu, magno sinceroque studio, licet frustra, propugnabant. Hinc est, quod in *Cicerone insitum amorem Pompeianarum partium* Noster perstringit 2,62,6. Pompeius enim cum speciosa simulatione, libertatis & reip. studium ap. omnes præferret, Ciceronis etiam animum paulatim ad se traxit, qui in reip. & libertatis incolumitatem omnes cogitationes intenderat. Hinc est, quod magnificentissimo præconio *Catonem* ornat *Seneca* ep. 104: *cum alii ad Cæsarem inclinarent, alii ad Pompeium, solus Cato fecit aliquas & Reip. partes: si animo com-*

plecti

plecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem & omnem erectum ad res nouas vulgum: hinc optimates & equestrem ordinem, quidquid erat in ciuitate sancti & lecti; duos in medio relictos; Rempublicam & Catonem.

3. In vtroque ingenio licet notare, τὸ πολιτικὸν siue πραγματικὸν (ita enim potius hic dixerim, quam δεξιότηριον) τὸ καλοκἀγαθικὸν, τὸ φιλεύθερον: *Illud* significet nobis natum rebus agendis, studiisque ciuilibus ac officiis vrbanis animum: *istud* virtutis, iustitiæ, honestatis amorem: *hoc* dominationis odium, æquabilitatis ac libertatis curam. *Illud* in se continet *singularem virtutem* (i. e. animositatem) in suscipiendis, *constantiam* in peragendis, *vigiliam* in prouidendis, *curam* in tractandis negotiis: quæ cum *Ciceroni* tribuuntur 2, 43, 3. non minus interim *Catoni* debentur elogia. *Istud* sinceritatem actus complectitur grauitatemque, qua Cato *nunquam recte fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat*: item iusti rectique obseruantiam, qua Catoni *id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam* (huc pertinet, quod *homo virtuti si-*

quorum ingenium notis quibusdam politicis *insignitur*, communiter.

milli-

millimus dicitur; *& per omnia ingenio diis quam hominibus propior*; & paulo post: *omnibus humanis vitiis immunis*. quanquam ista cum figura rei attollendæ & ἐν ὑπερβολῆς λόγῳ accipienda esse, omnes vident, qualia exempla 1, 12, 3. 2, 130, 5 & alibi occurrunt) *Hoc* vel ex illis liquet, quæ paulo ante dicebamus & mox dicemus.

& distincte.

4. Est tamen in similitudine huius characteris politici, inæqualitati cuidam locus. Fuit enim in *Catone* maior grauitas ac seueritas: in *Cicerone* maior subtilitas & comitas. viuendi ratione *Cato* astrictior, liberior *Cicero* erat. Multa perfecit *Ciceronis* eloquentia; multa *Catonis* ardor atque contentio. *Illum* doctrinæ atque ingenii; *hunc* antiqui rectique moris principem dixeris. Talia plura ex ipsis actus ciuilis speciminibus rectius colliguntur.

Quid de iis publice spectandum:

5. *Quid eiusmodi ingenia publico promittant*, non obscurum esse potest. Equidem *in statu plurium, & rebus tranquillis* i. e. intestina tabe non vitiatis, quid aliud, quam decus & splendorem Paci, tot artes paces; quam firmitudinem reip. & incrementa, armatum optimis consi-

consiliis libertatis studium fecundaque maximis prouisionibus pectora spondent? *Magna*, inquam sunt hæc ingenia, & *proba*, & *moderata*. Quorum illud *auctoritati reip.* istud *administrationi*, hoc *tranquillitati* conuenit. An moderationem Catoni tribuis, inquiet nonnemo, cuius nimium rigorem in gerenda rep. ac seueritatem alii non citra rationem incusant? Egressus est moderationem prudentiæ alicubi & Cato, & (diuersa quadam ratione) Cicero. sed *fidem orga remp. bonique ciuis officium* non egressi sunt: neque ad *noua consilia, inciuilia cœpta, seditiosasq; molitiones* vnquam animum adiecerunt: sicut multa magna ingenia (quæ ob id *immoderata* & *nimia* dicimus) eo tempore videmus factitasse. cap. 4.

6. Neque minus præsidium in talibus viris ciuitas habet, rebus ad turbas domi spectantibus, aut bellis externis coorientibus. *Ibi* enim in omnia penetrabit oculus vigil & perspicax, sicut Catilinæ molitiones industria *Ciceronis*, grauitate *Catonis* è latebris suis extractas & discussas nouimus: *Hic* non magis arma manusque militum foris aduersus hostem, quam domi consilia tantorum

virorum pro rep. militabunt. Itaque, si cum aliorum ingeniorum exemplis hæc Nostra conferas; *sincera & perpetua spes* Remp. solabitur: vix vnquam *timor necessarius aut iusta formido* terrebit. Nisi quis existimet, huc pertinere, si quæ in tantis viris vitia, quibus nemo vacat, deprehendantur. Verum ego in eiusmodi ingeniis, *rectam & constantem reip. iuuandæ voluntatem, ciuilibus artibus auctam confirmatamque inuenio*; cui & fides haberi tuto, & spes inniti valide potest. Nam quoad ipsos actus, quæq; concurrunt aut inde eueniunt, *nullius boni ciuis tam felix est virtus; quin aliquando, præter voluntatem agentis, aliqua eius actio reip. nocere possit.* Sed nimirum vnde consilium abest, certo respectu culpa abest.

Inter artes & instrumenta actus ciuilis potissimū hic occurrit ἀντιπεριγραφὴ siue contextio aduersus turbidos.

7. Accedet his nonnihil lucis ex iis, quæ sequuntur. Dum enim susceptæ scriptionis ratio nos *ipsas Horum virorum occupationes pro rep. actumque ciuilem attendere* iubet, occasionem intelligimus nobis datam, non modo κατορθώματα Tullii & Catonis, id est, *res prospere sapienterque gestas*, sed & ἀτυχήματα siue *actus successu fructratos* expendendi. Atque illic quidem non est animus, per singulas

virtu-

virtutes, quibus rempublicam tractauerunt, incedere (nam & prolixum id fuerit, & communia quædam, citra decus & gratiam scribendi repetenda forent) sed quæ præcipua & quasi peculiaria his viris animaduertimus, summatim notanda nobis sumemus. Nihil autem vel *Tullii* vel *Catonis* vita ad specimen ciuilis actus illustrius, aut copia bonarum artium fecundius habet, quam *grauem illam solicitamq; ἀντιπαλίαν, qua vterque dominandi cupidis rerumque nouarum studiosis velut in perpetuo certamine oppositi, libertatem ac remp. a conuersione & inclinatione, quantum in ipsis erat, propugnauere.*

§. Ostentat se statim hoc loco *Ciceronis consulatus*. Quo vir maximus vno eodemque tempore pluribus factionibus, ac veluti cæteris perturbantium remp. singulari quadam constantia, arte, industria restitit. Nihil iam dicemus de *agrariis legibus*, in quibus oppugnandis ita versatus est, vt cetera quoque immodica & turbulenta Tribunorum pl. consilia simul & eadem opera confunderet debilitaretque: nihil *de Rabirii defensione* dicemus, qua non tam reus ab accusationis acerbitate quam ipsa im-

cuius illustre specimen habet Ciceronis Consulatus.

perii maiestas à molitionibus insidiantium vindicata est: nihil de *proscriptorum liberis* dicemus, quorum desideria, tempestiuissima seueritate, Reip. temporibus cedere coëgit. Omnia enim virtutis specimina, circa Catilinarii sceleris oppressionem concurrunt. Erat eo tempore Ciceroni vigilandum & dimicandum, *primo* quidem, aduersus *coniurationis principes, socios, satellites, participes*: *deinde* aduersus *collegam Antonium consulem*: *deniq;* aduersus *omnem populum R.* cuius animos, vt contagio, rerum nouandarum studium inuaserat. In tanta mole profliganda (profligauit enim feliciter) non pauca eximie actitata animo obuersantur; sed nos ea tantum attingemus, quæ ad artes ἀντιπραγίας propius pertinent, ipsamque ἐπιχείρησιν & ἀνπποιεῖσθαι καὶ & ἀντιτεχνᾶν concernunt.

considerantur autem in ea primo quidē obnitendi status & dispositio

9. Qua in parte τὸ ἀντίρροπον καὶ ἰσοστάσιον τῆς ἀντιτεχνήσεως, ante omnia quærendum & obseruandum est. Opponuntur enim hic velut è diametro, *inde prauorum hominum factiosa seditiosaq; aduersus remp. molitio*, hinc *Ciceronis aut boni alicuius magnique viri expedita fidelisq;*

prō

pro rep. prudentia. Hæc aduersus *illam* nititur: & vt feliciter nitatur, non in diuersam partem aut obliquam, sed in ipsum iugulum sceleris directe, opponit lacertos suos: nec minore conatu ac robore, sed pari opus habet, ne illa prævalendi occasionem, inter initia statim inueniat. quo nihil est periculosius & correctu difficilius. Igitur nihil omisit *Ciceronis* prouisio, quin in constituendo, vt sic loquar ἐντιπαραγίας statu omnia perspecularetur, vnde molitionibus nefariis robur, consilium, adiumentum pararetur, aut parari posset. Videbat Catilinam, audacissimorum & conscelerati ssimorum hominum caterua succinctum, non dominationem modo ambitione & potentiæ cupiditate; sed inauditi facinoris crudelitatem, desperatione quadam animo concepisse. Poterat id detectum, animum alterius ipsa rei atrocitate velut obtundere, vt de obsistendo iis quæ cognouerat vnice satageret, neque ad plura curam suam attenderet. Ciceroni ad ipsum mali fontem penetrandum erat. Videbat latere in ipsis reip. visceribus, in disciplina ciuitatis, in corruptissimis sæcu-

li moribus, vim atque originem morbi, siue *seminarium* quoddam *Catilinarium*; quod in cohortes quasi distribuit, & publice ostendit *orat. 2 Catil. cap. 8. vsq; ad 11.* Videbat esse in rep. magna quidem illa & excelsa ingenia, sed nihil aliud quam mutationem status optantia, & veluti è longinquo molientia. videbat esse, qui nondum quidem Catilinæ consiliis permixti, qualicunque tamen euentu aut occasione propius & vehementius in præceps ire meditarentur. Videbat omnes ordines monstrum in sinu alere. videbat à capite reip. & collega suo, per totum corpus contagium peruasisse. Hæc & talia videbat & *Cato*, & præsertim, de quo loquimur, *Cicero*. Neque parum momenti aut consilii fuit in hoc ipso: *vidisse talia & obseruasse.*

10. Sed ad statum gradumque aduersus tot reip. mala occupandum & componendum nondum sufficiebat. Veniebat in partem calamitatis, *hebetata Senatus auctoritas, perterrita & malefortes pro patria bonorum voluntates, suspecta vrbani auxilii fides.* Nihil horum ignorari aut negligi ab eo debuit, qui contra inimicos reip. prudenter & feli-

citer

citer pugnaturus erat. quorum præsidia, copias, machinas, artes nisi è specula quadam solertiæ præuideris ante & cognoueris, verendum est, ne in lubrico gradu pedem ponas, & de statu, quem occupasti, deiiciaris. Vt enim à singulis cauere queas, ad singula ante respiciendum est. Hoc primum illud & præcipuum ἀντιπραγίας πολιτικῆς, *bonæ illius* inquam *& prudentis pro rep. aduersus malos contentionis* opus est: *gradum ad pugnam recte & ordine componere.*

11. Succedit alterum: nimirum τὸ τῆς ἀντιπραγίας ἐπιδέξιον ϗ οἰκονομικόν: *industria & opportuna artium, quibus aduersarii oppugnantur, dispensatio.* Aduersus *singula*, quæ in prædicto exemplo nominauimus, aliquid opponendum erat *pari contentionis cura*, sed non *pari arte modoque.* Quidam *aperte* adoriendi erant, sicut in senatu *Catilinam* Cicero, præsens præsentem impauide coarguit: quidam *vltimo supplicio*, vt piaculares publici periculi victimæ mactandi, quod in Lentulo & ceteris non distulit Cicero: atque hæc *maturatione & pæne festinatione* indigebant. quo & Tullii & Catonis (*vid. orat. eius ap.* deinde *obnitentis industria, artes, labor.*

cap. 4.

Salluſt. Catil.52 & Vellei.2,35, 4.) impetus pertinet. Alii, è diuerſo, *paulatim & & per elicita indicia in quoſdam quaſi caſſes illiciendi erant.* huc retuleris Ciceronis conſilium, quo Allobrogicis legatis præcepit, *vt ſtudium coniurationis vehementer ſimularent, ſocios coniurationis adirent, bene pollicerentur, darentque operam vti eos quam maxime manifeſtos haberent. Salluſt. Catil.41.* Antonius *ſingulari arte, magnaque & ſimulatione & diſſimulatione* à reip. exitio auertendus erat. itaque Tullius eum *factione prouinciæ perpulerat, ne contra remp. ſentiret. Salluſt. Catil.26.* Aduerſus *occulte factioſos claros nobileſque viros,* inuſitata animi fortitudine & conſtantia opus erat, vt contemto inuidiæ & criminationis onere, pertendere auderet, quæ inceperat. *Populi totius* animos è cupidine rerum nouarum & neglectu publicæ ſalutis, ad meliorem mentem diuina quadam eloquentia traduxit. Nota eſt eo nomine *Catilinaria ſecunda.* Animaduertimus ergo virum prudentiſſimum, *partim aperto*, vt ita dicam, *Marte*, directaque in aduerſos acie conſilii ſui copias explicuiſſe; *partim arte & calliditate inuentiſq; quibuſdam* ex occulto

aut

aut obliquo rem gessisse : totumque illud reip. liberandæ negotium, in efficacem actuique peridoneam ἀντιπραγίας varietatem, vti res atque tempus monebat, dispensasse. Eandem postea consilii virtutisque rectitudinem adhibuit circa *Pompeii Cæsarisque* molitiones & aduersus Antonium : *cuius memoriæ æternas notas continuis actionibus inusit. Vellei.* 2, 64, 3. Nisi quod fatalis rerum perturbatio, consilia etiam optimorum ciuium nō mediocriter perturbauit & interturbauit, de qua re mox pauca monebimus. Interim hanc τέχνην ἀντιφερείστου *siue artem obsistendi inciuilibus elationibus* nō parum illustrare possunt, quæ *Plancus* de suis consiliis ad *Ciceronem* speciose disserit *l.* 10. *ep.* 8. E Catonis artibus singulare aliquid habet illa, & proprie ad hanc ἐπιδεξιότητα *respicit, cum per amicos & hospites suos, prouinciarum omnium administrationes, decreta, iudicia, denique quicquid pro rep. aut contra eam geretur, certis & tempestiuis litteris resciuit.* vnde ipsum articulum auxilii contra vanas machinationes instruendi potuit constituere. Instituto pari non pari de caussa multi hodie vtuntur: qui cu-

cap. 4.

rioſitati ſuæ & famæ haud raro ita velificantur.

In quo negotio interim aberraſſe aliquando creditur & Cato.

12. Verum omnino iam eo peruentum erat, *vt plerique inhoneſto & pernicioſo* conſilio *potentiæ paucorum decus atq; libertatem ſuam gratificari* cuperent, ceteri *fruſtra nitebantur, neq; aliud, ſe fatigando, niſi odium,* imō interitū *quærebant.* Plane enim *Salluſtiana* illa è *Iugurth.* 3. ad hoc tempus accommodare licet, quo aliqui Remp. lacerabant, alii lacerandam præbebant, Cicero & Cato ab vtrorumq; rabie defendendam ſibi, magno ſed irrito ſtudio ſumebant. Incipiemus à *Catone.* cuius ſeueritatem multi hic accuſant, neq; ἀντιπραγίας artibus idoneam iudicant. Etiam *Cicero, Cato noſter,* inquit *l. 2. ad Attic. 1, optimo animo vtens & ſumma fide, nocet interdum Reip. dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce ſententiam.* Euentus certe oſtendit, maximorum ingeniorum potentiam irritatam potius eſſe illa aſperitate, quam impeditam: longeq; conſultius fuiſſe, ſtudium reip. aliqua manſuetudine temperare, impetuque & directa contentione dimiſſa, obliqua & diſſimulata arte communis ſa-

nis salutis scopum attingere. sed hoc repugnabat naturæ Catonis: cui immotum firmumque, *aperte & animose & in ore suæ reip. eiusdem inimicos conuincere.* Quid dicemus? Nocuit sane antiquus & indeflexus rigor, cuius non capax erat id sæculum. At vero, cum nihil in ciuili vita vndiquaque sincerum reperiatur, felicem dixerim remp. in qua magni viri hoc potissimum modo peccauerint. Fides enim ciuium est, qua salua, præcipuum ciuitatis robur salvum esse intelligitur; & licet sine prudentiæ auxilio vix prodesse videatur, leuior tamen ciuis errantis quem degenerantis noxa censenda est.

13. Reprehendit *Plutarchus* in Catone, quod affinitatem Pompeii recusauit. ea re maximam ἀντιπραγίας opportunitatem è manibus dimissam, ait. nam ita Pompeium distineri potuisse à Cæsaris affinitate, haud dubie ad opprimendam dominatu remp. spectante. Ratio magna reprehensionis & speciosa: sed nescio an maior Catonis, quo suam voluntatem arte callida conciliari, auctoritatemque aduersus reip. libertatem pignerari, adeoque *se*

per

per mulieres capi (quod generoſe & reip. cauſſa reſpondit) *nolebat*. Diſtinuiſſet Pompeium ſane tale matrimonium ab affinitate Cæſaris: an etiam ab ambitioſis & nimiis conſiliis? quorum miniſter fautorque, ne videri quidem volebat Cato. Vtique ergo aut Catoni diſcedendum fuiſſet à conſtantia iuuandæ reip. aut Pompeius caritatem neceſſitudinis, dominationis cupiditati, quæ cunctis affectibus flagrantior eſt, poſthabuiſſet. Ita enim ſentiendum eſſe de eo, quod ſperari aut timeri potuit ex illo affinitatis federe, res ipſa loquitur. Quapropter ſicut in aliis quibuſdam nimis animoſe directam viam inſtitiſſe Catonem nemo negauerit: ita non ſine ratione dubitaueris, an hæc ἀντιπραξίας ſemita multum momenti fuerit allatura, ſicut *Plutarcho* opinari libuit.

& Cicero 14. Quod ad *Tullium* noſtrum attinet, vitauit equidem ſolicite, ne perturbatis reip. temporibus in id, quod Cato, incideret: flexitque & mutauit ſententiam, verba, conſilia, prout publica vtilitas videbatur poſtulare: qua de re ipſe *ad Atticum* & alibi ſæpe teſtatur,

tur, ac pæne gloriatur. Sed accidit ei, quod est apud Comicum : cap. 4.

Qui cauet ne decipiatur, sic cauet; cum etiam cauet,
Etiam cum cauisse ratus, sæpe is cautor captus est.

Adeo scilicet, vt supra iam meminimus, difficile est iudicium de confusis, & ardua coniectura de perplexis : dum ipsa fide, ipsa industria sua distrahuntur pariter ac decipiuntur aliquando sapientes. Communiter in eo reprehenditur, quod exorto inter Cæsarem & Pompeium bello, cum primo medium se partibus præstitisset, eiusque & auctoritas & consilium (cuius egregium specimen *epistola ad Cæsarem inserta lib. 9. ad Attic. post* 11. præfert) reip. profuturum videretur, postea tamen mutata voluntate Pompeio se adiunxit, meliora consilia suggerente ipso *Cæsare* (*vide lib.* 10 *ep. ad Attic. post.* 8.) & *Cælio* (*vid. ibid. post* 9) Improbauit ergo id factum vehementer *Cato* apud *Plutarch. in Cic.* iudicauitque statum salutaris pro rep. ἀντιπραξίας corruptum hoc pacto & iniquo, vt ita dicam, loco constitutum : cumque in medio collocatus vtrumque à reip.

exitio

exitio prohibiturus speraretur, deserto illo gradu nec partes nec remp. adiuuari ab ipso posse. Agnouit & ipse sera æstimatione ac damnauit errorem suum.

qui in ambigua detractus est.

15 Ambitionis in rep. gerenda nimiæ subinde eum *Plutarchus* arguit. adeo vt adolescens adhuc *Octauius*, cum ambitione eius tempestiue & callide abuteretur, aduersus ipsum & remp. eualuisse credatur. id quod ab amicis sæpe *Ciceroni* exprobratum est. Sane poterat hoc mirum videri, eum virum, qui studio libertatis exitio Iulii Cæsaris tantopere lætabatur, patefacere denuo Julianis artibus viam, & dominationi struendæ auctoritatem suam commodare. Sed hæc postea, qualia essent, demum apparuere. in ipso rerum tumultu non leuia erant, quæ Ciceronis consilia in hanc partem inclinarent. Memor erat somnii de Octauio puero sibi oblati, quo liberator reip. & ciuilium bellorum domitor monstrabatur. Videbat Antonium incubare grauem publicæ libertati; neque sine opera Octauii strenue compesci posse. Videbat Octauium post operam reip. iam felici-

feliciter nauatam, non indignum præmio & honoribus esse. Hæc eius generis sunt, vt Tullii consilium excusare quodammodo possent, nisi & hoc damnare postea ipse, diuersaque nec reip. profutura meditari instituisset. Sicut enim *intemperantia* erat, toties publice exitio Cæsaris gaudere; & *credulitas*, interfectoribus Cæsaris, speciose & per artem Ciceronis auctoritatem facto suo accommodantibus, accedere; & ἀστοχία, libertatis restitutionem sperare, in ea ciuitate, quæ libertatis nullo modo capax erat: ita haud dubie sinisteriore iudicio Octauium tollendum postea iudicauit, quam promouendum antea susceperat; super rei præsentis conditionem, etiam Iulii exemplo iam admonitus, receptam semel tam alte dominationem, nihil minus quam gladio corrigi. Etiam *dicteriorum acerbitas* pari licentia aduersus omnes expedita: tum *in periculis timiditas* obstitisse melioribus pro rep. consiliis existimantur, qualia tamen nec cum *Dione* (cuius in Tullium iniquior stilus videtur) traducenda, neque huc, citra memorabile exem-

exemplum, referenda quis dixerit. præsertim cum nobis ad instituti rationem sufficiat, quædam de *actu ciuili* hoc loco annotasse: atque interim, si, qua maior pars vitæ atque ingenii stetit, eà iudicetur de homine, omnino verum maneat, quod Augustus ap. *Plutarch.* mortuo reddidit, testimonium: *fuisse Ciceronem virum doctum & PATRIÆ STVDIOSVM.* nam id in primis hic spectamus, atque ideo ceteras laudes non conquirimus: sicut nec ea, quæ in *Catone* vituperantur, denique impedire possunt, quin *Dionis* laudatione dignissimus videatur: cui *lib.* 43. dicitur Δημοτικώτατος καὶ ἐλευθερώτατος καὶ ἐλευθερογνωμονέστατος πάντων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων γενόμενος; *libertatis studiosissimus, animosissimus, constantissimus ex omnibus suæ ætatis hominibus.* Certe in his duobus licet reperire, quidquid ad fidem boni ciuis, ad artem gerendæ reip. ad morum rectitudinem videtur pertinere. Nam de doctrina & studiis Ciceronis, quibus imperium Rom. illuminauit, alibi rectius tractaueris.

Sed hoc iudicium de tantis viris moderatione indiget.

CAP. V.

CAP. V.

1.

ATque hæc, de quibus modo nobis sermo erat, ingenia magnum reip. ornamentum in secundis, in aduersis solatium adferre solent: omniq; & fauore & honore dignissima existimari debent. Accedimus nunc ad eos homines, *quos inter magnos quidē eximia naturæ præstantia vindicat*, sed *instituti morumq; ratio factiosis, elatis, superbis inciuilibus aggregat*: siue vt *Velleius* Noster de Gracchis loquitur, *qui optimis ingeniis male vtuntur, atque vt male vtantur, quadam animi intemperantia ac inquietudine stimulantur.* Ea nota insigniuit Noster, præter *Gracchos*, de quibus diximus, *Marium*, *Sulpicium*, *Cinnam*, *Sullam*, *Antonium*. Nam hos omnes, aliosque plures, turbandæ reip. parandæque dominationi nimiopere studuisse, notissimum est. *Explicata Ciuilium ingeniorum præstantia; acceditur nunc ad homines inciuiles & inquietos:*

2. Deprehendimus autem in talibus ingeniis *primo* quidem τὸ φιλότιμον καὶ θρασὺ τῆς ψυχῆς *ambitiosum audacemque animum*: *deinde*, τὸ πολύτροπον τῆς γνώμης *versutum consilium*; *denique* τὸ βίαιον τῆς πράξεως siue *violentiam actus*, quo cetera, quæ de iis aut in eos *quorum ingenia communibus notis signantur.*

dici possunt, referre licet, ni fallor. *Audaciam* ambitioni coniunximus, vt à ceteris ambitiosis, *seditiose ambitiosos* distingueremus, & in vnum confusa duo ista mala singularis noxæ genus efficere ostenderemus, quæ separata simplicius nocent. Hinc sunt *vasta, immoderata, nimia, abrupta conata*: quibus perficiendis *miras artes* suppeditat & *arcanas versutia consilii*: nisi quod has ipsas *aliquando præuenit, aliquando sequitur, plerunque comitatur vis, & impetus & turbatio.*

sunt q. timendi Regibus,

3. Quid reip. expectandum sit ab his hominibus, exempla quæ nominauimus, commentarii vice declarant. Hi sunt quos Monarchis timendos veluti digito ostendit *Aristoteles 5 polit*: 10: & maximum periculum principibus imminere ait, partim quidem per *audaces*, præcipue vbi officii militaris aut potentiæ robur accesserit (τὸς τὴν φύσιν θρασεῖς, τιμὴν δ' ἔχοντας πολεμικὴν ἅμα τοῖς μονάρχοις appellat) *partim per ambitiosos* (τὸς διὰ φιλοτιμίαν ἐπιτιθεμένους) quid ergo si vtrumq; in vno cõcurrat? Hi sunt,

Optimatibus,

qui *in Optimatum imperio*, contemnere magistratus, insidiari legibus, semel turbatas

batas conuellere solent, donec resp. degeneret εἰς δυναστείαν τῶν ἐπιχειρησάντων νεωτερίζειν in potentatum eorum, qui res nouare semel aggressi sunt. nam eo rem euenire, obseruat rursum Philosophus 5 pol. 7. Hi sunt, qui *in popu-* Populo.
lari imperio aut *ex optimatibus & multitudine mixto* δημαγωγία turbulenta concitant populum, statumque dissoluunt, dominationi inhiantes. μάλιστ δ' οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων γεγόνασιν ἐκ δημαγωγῶν ὡς εἰπεῖν πιστεύσαντες ἐπὶ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους. *plerique ferme tyranni, ex demagogis sunt facti, qui optimatibus & nobilibus criminandis fidem sibi & auctoritatem quæsiuere.* Quod & ipsum Philosophi verbis adstruere placuit, è 5 *pol.* 10. vt intelligeretur maximas rerump mutandarum causas penes ingenia, quæ notauimus, residere. cap. 5.

4. Id vt prudentius æstimetur, simulque *Velleianæ notationis* verba, aliqua expositione illustrentur, non alienum fuerit hoc loco, *ipsum actum inquietorum capitum propius introspicere, quibusq; artibus immodica consilia struxerint prouexerintq;*, exemplis, quæ Nostra historia nobis suppeditat, demonstrare. Qua *Ad molitiones eorum actusque describendos.*

cap. 5.

in parte, vt & breuitati & iuuentutis exercitationi seruiamus, genere scribendi vere χαρακτηριστικῷ (sicuti veteres, collectis dictorum factorumque speciminibus, certa cuiusque indolem ac mores nota signauere) vtemur: retento interim ordine, quem paullo ante proposuimus.

adhibetur genus commentandi, χαρακτηριστικὸν.

5. Solet itaque *inciuilis & factiosus* talia ferme sentire, dicere, facere. Primo omnium *præsentem statum odit* (Vellei: 2, 91, 2) *nec contentus est ciuili dignitatis modo* (2, 7, 1) *Immoderata, inciuilia, nimis alta semper*

Plut. Tib. Gracch.

cupit, optatque inusitati facinoris celebritate nomen sibi & famam parare. Vnum honoris gradum adeptus ex successu animum sumit (Vellei 2, 17, 3) *omniaque sibi imperia, omnes dignitates insatiabiliter concupiscit* (2, 18, 6) *vsque ad regalem potentiam* (2 6, 4) *& singulare imperium* Sullanumque aliquod regnum. His cogitationibus *semper inquietus* est (2, 11, 1) *magisque ac magis in dies agitatur. odit superiores, grauatur pares* (2, 29, 3. 2, 33, 3) *& contra vtrorumq; opes cuiusuis potentiam vult crescere. Hinc adeo audendum sibi existimat omnia; & ignauiam vocat, ingentibus au-*

Cic. 8. ad Attic. 11.

Lucan. 1, 125.

Sallust. Cat. 17.

Pollux. lib. 6. c. 22.

sis ab-

sis abstinuisse. sicut & cetera rerum nomina permutat ex lubidine animi sui; probitatem, stultitiæ titulo; quietem, socordiæ; prudentiam, timiditatis; continentiam, effeminati animi conuitio, prout conducit rebus suis, vel in se existimans vel in altero traducens.

6. Plerunque tamen, priusquam erumpat in publicum ista molitio, artibus quibusdam sibi grassandum existimat. inter quas facile simulatio & dissimulatio primas tenet. aliud clausum in pectore, aliud promtum in lingua habere: amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare: populares auras captare, largitionibus vti, speciosa vocabula vulgi auribus occinere. Quæ alii scelera, hic remedia vocat: dum falsis nominibus, seueritatem pro sæuitia, parsimoniam pro auaritia, supplicia & contumelias ciuium, disciplinam aliquãdo appellat. & ex diuerso, bellum ciuile, defensione libertatis; nouas tabulas, vindicatione salutis prætexit. à iure & legibus ad naturam & rationem prouocat: satis gnarus, nihil esse tam impium, cui non aliqua æquitatis species generalibus istis & per indistinctam amplitudinem patentibus sententiis possit conciliari. cum præsertim accesserit exemplorum, quæ seruire sibi cogit quoties & vbicunque vult, auctoritas. itaque profert aliquos ex antiquis

Sallust. Cat. 10.

Lucan. 1, 130. Flor. 3, 17, 9. Tac. 4 H. 73. 7.

Tac. 1 H. 37. 5.

Plut. in Grac.

Cic. Acad. quæst. 4,5.

tiquis claros viros, quos dicit fuisse populares, vt eorum ipse similis esse videatur. Repetit iam P. Valerium, qui exactis regibus primo anno consul fuit: commemorat reliquos, qui leges populares de prouocationibus tulerint, cum consules essent: tum ad hos notiores, C. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante secundum Pun: bellum trib. pl. tulerit, inuito senatu, & postea bis consul factus sit: atque sic progressus horum nominibus tot virorum atque tantorum expositis, eorum se institutum sequi dicit.

7. *Quod si etiam aliquandiu forte virtutis legem & rationem secutus fuerit (quod ipsum tamen animi tales non alio quam suæ claritudinis commodique respectu ferme solent facere) mox ingressus audacia consilia desciscit à bonis, & prauus, tum deinde praeceps fit (2,2,2.2,18,5) optimum quemque calumniis deprimere, pessimos laudibus attollere,*

Excerpt. Dion. de Mario.

ludi genus ac ioci credit: periuria quoque, omneque mendaciorum genus in leuibus numerat. nihil ex fide, omnia ex proprio vsu agit ac temporibus insidiatur (2,21,2) omnes interim cuiusque generis homines sibi aggregans, ac in suam factionem solicitans. pauperculam plebem, muneribus; obæratos, pollicitatione pecuniæ; seruos, proposita libertate; exules damnatos-

Sallust. Catil. passim.

mnatosque, spe immunitatis; peregrinos, ciuitatis promissione, suis consiliis adiungit: omnia miscet, remp. conturbat, nihil immotum, nihil tranquillum in eodem statu relinquit (2,2,2. 2, 6, 3) *Quod quiete poterat consequi, mauult per vim extorquere & tumultuando adipisci* (2, 7, 1) *concupiscit minima ob sordi-* *Pollux 6,32.*
tiem animi; nec satiatur maximis, ob insatiabilem cupiditatem. quæ semel pessime ausus est, obstinate pertendit (2, 45, 1) *semperque* *Dio 47 p. 378.*
priora nouis vincere facinoribus nititur: in- *Id. 45 p. 328.*
audita & sine exemplo atrocia se demum digna existimans. denique incendium suum ruina extinguere optat, mauultque publica ruina occidere, quam sua proteri, & idem passurus minus conspici (2, 91, 4) Huc ferme recidunt consilia hominis inquieti & conata: quibus seque remque publicam perditum ire solet. *Sallust. Catil, 31.*

8. *His igitur quemadmodum posit & debeat obuiam iri*, partim capite præcedenti, per occasionem attigimus, partim hoc loco amplius persequemur. Diuiserit autem aliquis totum hoc negotium in duas partes: quarum *prima* ad *seueritatem fori*; *altera* ad *artes & sophismata arcanæ prudentiæ* spectabit. In *foro* factum quæritur, & de perpetrato iam scelere *Succedunt media iis opponenda.* *Primo quidem in foro:*

iudicium constituitur, nisi quod susceptæ molitio, inita consilia, cogitatæ insidiæ aduersus remp. in facti partem veniunt, criminibusque iudicis potestate vindicandis merito in tali argumento accensentur. Quod si ergo molitio talis, antequam effectum sortiatur, delata fuerit atque comperta, *ante omnia certitudo rei scrutanda, & audiendi sunt rei, reorumq; excusationes, idque quantum res & consuetudo patitur aut postulat.* Pertinebit hoc ad grauitatem iudicii: quia libenter damnare videtur, qui facile credit, neque quid aut cur credat, satis explorat; & propemodum insons existimatur, qui inauditus inque defensus perit. *Non est prætereunda grauitas Lacedæmoniorum hoc loco.* Cum enim factiosa Pausaniæ consilia non in suspicionem modo plurimorum sed sermones etiam veniissent, tamen *quod harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus oportere iudicari: sed expectandum, dum se res ipsa aperiret*, memorante *Cornel. Nepote in Pausan.* 3, 7 & 4, 3. Qui locus præsertim de reorum dignitate consideranda nos admonet: quæ quo maior erit, eo grauiorem inui-

vbi grauitas & moderatio

inuidiam faciet punientibus, nisi conuictos & meritissima pœna affici publico constiterit. Qua in parte prouide & ac prudenter Cicero in coniuratione Catilinaria apud *Sallustium*; tam in accurata inquisitione, quam in graui cognitione omne coërcitionis publicæ robur reponens.

cum extraordinaria seueritate iungenda est:

9. Intelligenda est ea cognitionis diligentia moderatioque, cum exceptione casus grauioris vbi periculum in mora præsens non patitur audiendo disceptandoque tempus extrahere; aut vbi iudicialis compellatio maiores motus videtur minitari. hic enim *aliquando statim puniuntur, quorum perniciosa cœpta CERTO INDICIO INDVBITATISQVE ARGVMENTIS cognita sunt.* Ita Lepidus Triumuiri filius, bellum moliens à Mæcenate deprehensus & occisus est, *Liu. epit. 133: atque sic immane nouis ac resurrecturi belli ciuilis restinctum initium*, obseruante *Velleio* 2, 88. 3. Equidem *tali tempore citra processum fori, vt loquuntur, ordinarium licere principibus subuertere fontes*, disputat *Clapmarius lib. 4 Arcan. cap. 12* eamque rem *iure dominationis & plenitudine summæ potestatis* comprehendi existi-

mat. Exempla adfert *Seiani à Tiberio*; *Cæcinæ consularis à Tito*, *Parmenionis*, *ab Alexandro* subuersorum. Nollem addidisset hoc postremum. Sontem enim fuisse Parmenionem, nemo Historicorum audet affirmare. vbi ergo crimen dubium est (quod hic ipse *Clapmarius* fatetur) iuris districti potestas, noxiis tantum intentanda, locum non habebit. Vide cautionem *Curtii* 7,2,34. Alias omnino, in fauorem sacrosanctæ Maiestatis, si de crimine aduersus eam agitato constiterit, consuetudo fori, præsentiori & supremæ potestati cedere non recusat. idque tum in ceteris imperandi formis, tum in Regno.

obseruato tamen tempore,

10. At vero de exemplis exerciti tam præsentanea vi imperii difficile est iudicare: ὑ γάρ ἐστιν ἀκριβῶς τὰ τοιαῦτα τοῖς ἔξω αὐλῶν ἴσιν ἰδέναι: *non possunt enim hæc gesta accurate, nisi ab iis cognosci, quigerendis interfuerunt*, inquit prudentissime *Dio* 54 p. 607. Interim tenendum est, ne citius huc decurratur, quam opus sit: licet enim securitati satis caueri ita videatur, tamen plurimum contrahitur inuidiæ, quod recte obseruat *Sueton.* in exemplo Cæcinæ interfecti *Tit. 6. Quando igitur*

huc

huc decurrendum est, inquis? si reus spreto imperio cognitioni se subtrahit, concitatque multitudinem, sicut Sp. Melius, quem ob id eueſtigio & quidem iure cæsum satis constat. Vnde dictator: *consedisse se ad causſam cognoscendam: qua cognita, habiturũ fuisse Melium similem causſæ fortunam. vim parantem, ne iudicio se committeret, vi coercitum esse. Liu. 4, 15.* Ita C. Gracchus imperio consulari & manu militari oppressus apud *Velleium* 2, 6. nam de Tiberii Gr. exitu variatum est sententiis. qua de re egimus in *commentar. Vellei. ad* 2, 4, 4. Ita, *si quis acie vincendus est, vt reus agi possit*, quod de Pisone dicitur apud *Tac.* 3 *A.* 13, 4; quidquid euentus armorum tulerit, necessitas armorum defendet. nam quid aduersus vim opponi potest, præter vim? Hinc celebre est Mæcenatis consilium apud *Dionem* 52 p. 557. *qui cum voluisset, ceteros insidiarum & conspirat: reos in iudicium & ad cognitionem senatus adduci, eos excipit, qui exercitum obtinentes palam insurgunt aduersus Principem: hos enim non iudicio appellandos, sed vt hostes vi persequendos esse monet.*

11. Ceterum vt hæc seueritas iudiciorum distinctius cognoscatur, etiam *& occasione clementia.*

dispi-

cap. 5.

diſpiciendum eſt, *quali potiſſimum pœna turbidos ſpiritus affici è republica ſit?* Quidam enim inconſulto fauore ſceptrorum & maieſtatis abrepti, extrema & vltima tantum remedia huc conuenire clamitant: neque aliud, quam capitale ſupplicium idque atrociſſimis modis infligendum ſuggerunt, autumantes: *canem mortuum non mordere.* Equidem vt exaggeretur ſuppliciorum grauitas, cauſſas vniuerſim iſtas nouimus: ſi ſanctioris rei violationem habet delictum, ſi penitus deliberata obſtinateque crudelis fuit delinquentis malitia, ſi præſentior immaniorq; exempli noxa imminet ex delicto & delicti circumſtantiis, quas vocant; ſi voluntatibus publicis parendum, aut bono publico velificandum eſt. Verum hæc ipſa reputatio, quam alii tam auide accommodant ad inquietorum ſupplicia, poteſt nos ad ratiocinanda ὑποθέσεως σασιαστικῆς ſiue nouorum conſiliorum diſcrimina deducere. quæ accurate expendit *Liuia* apud *Dion.* 55 ſicut *in diſſertatione de amneſtia cap.* 4 §9 *& ſeq.* declarauimus. Sed & *Mæcenas* apud *Eundem Hiſtoricum* diligenter monet Auguſtum, *vt inſidiatos ſibi neque ipſe iudicet,*

cet, neque præiudicio oneret, sed in senatu causſam dicere iubeat, conuictosq; supplicio, quantum fieri poteſt, MODERATISSIMO afficiat. lib. 52 p. 557. ſcilicet vt crimini fides fiat, de quo, ſi principis res agitur, plerumque malunt dubitare homines. lib. 54 p. 607. Ex quibus ſatis apparet, *eſſe & hic aliquem lenioribus remediis locum*: ne nunc ad exempla id affatim affirmantia eamus. præſertim autem veluti *arcanum* ſuppeditatur: *quæ Principis perſonam lædunt, ab ipſo principe parcius vindicanda eſſe, quam quæ manifeſte in remp. tendunt.* Licet enim in ſtatu regni in Principis ſalute ſalus publica contineatur, adeoque in ipſa Maieſtate regia magnum & validum lateat vindicandæ Maieſtatis telum (quo de iure mox alibi dicemus) tamen Principi vehementer cauenda eſt illa hominum opinio, *quaſi ſui cauſſa pleraque ageret, ſibi vigilaret, ſibi animaduerteret.* præſertim *in nouo imperio*, cui omnis inuidia plurimum nocere putanda eſt. Adhibeatur ergo ſeueritas, quantam reſp. poſtulat, & ratio delicti meretur: vt oſtendatur inciuilibus ingeniis, exitiabiles eſſe ſolere & debere eorum exitus, qui quieta mouere, præſentia odiſſe, compoſita turbare

bare instituunt. Neque enim diffitendum est partem prudentiæ in eo versari, si, *quos natura ipsa retinere in officio non potest, ii magnitudine pœnæ maleficio summoueantur.* vt hoc de parricidis à *Cicerone* dictum ad publicos parricidas accommodemus.

Remedia Prudentiæ extra forum vt recte procedant,

12. Ceterum, quæ ad iudicia pertinent, vel legibus descripta, vel moribus recepta, planiorem habent viam. *Altera pars* ex iis, quæ constituimus, latius patet, multamque prorsus obseruandi, agendique diligentiam requirit & sollertiam. Ante omnia enim hic idoneo rerump. tractatori *noscenda sunt & dignoscenda illa ingenia,* quæ rebus nouis facilia vel per notas indolis actusque existimari, vel per fortunam reddi solent. *Quorundam enim turbulentia cum stoliditate & vanitate hebeti coniuncta est: quosdã in præcipitem audaciam intemperatus cœcusque furor rapit: sunt, quorum audaciam acuta vafrities tegit & regit: sunt quibus nunquam deest voluntas, sed deest plerumque audacia res nouandi.* Ex *primo* illo genere fuit *Lepidus triumuir, vir omnium vanissimus, neque vlla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus,* vt recte à *Velleio* dicitur 2, 80, 1. *insciens agendi,*

distinguenda est inquietorum indoles in certa genera.

quidam enim sunt stolide inquieti:

cuius

cuius audaciam quiduis inflabat, conatum omnia deferebant, sicut ex *iis, quæ sequuntur apud Velleium, aliorumque scriptorum elogiis* nimis manifestum est. Adde *Sallustianum Curium* Catil. 23. *Hi tales non sunt valde extimescendi.* quid enim? armatos, Augustus aliquis inermis exarmaret. *Vellei.* 2, 80, 4. abest auctoritas, sine qua nihil magnæ rei geri potest; abest consilium, sine quo ruat necesse est quantacunque moles & molitio.

13. *Secundum genus* continet τολμητὰς καὶ φυλοκινδύνους, promtæ & præcipitis audaciæ homines, quales Catilina potissimum suæ coniurationi præfecit, memorante *Sallustio Catil.* 17 *neque per ignauiam aut vana ingenia* se *incerta pro certis captaturum fuisse,* profitetur *cap.* 20. De his vt recte iudicari possit, attendendum est, *an bello egregii, gerendisque rebus industrii sint: an vero ob dissolutionem morum inefficaces & impetu solo sint timendi. Illi* nihil modicum minantur, veri scilicet παῖδες τοῦ Ἄρεως *Martis filii,* vt ex *Plutarchi Mario* hoc dicam. Talis fuit *Marius pater,* qui Velleio χαραχθησίζηλος: *hirtus atq; horridus vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriæ, insa-* *quidam furiose inquieti,*

insatiabilis, impotens, semperque inquietus 2, 11, 1. Sed & *Gracchi* huc pertinent, de quibus 2, 2, & 2, 6, 1 *&c.* Minus sunt formidabiles & facilius occupantur compescunturque *eorum* conata atque cupiditates, *qui audaciæ quidem præferuidæ plurimum habent, neque omni consilio destituuntur, sed neque diligentia agendi neque dexteritate idonea pollent*: qualem Noster passim *Antonium* figurat: *Sextumque Pompeium Magni filium*, itemque *Clodium*. *Horum* molimina, si procedant, assidue & minaciter fumare; *illorum* efficaciter ardere, dixeris.

quidam callide inquieti:

14. A *Tertio genere* plurimum est periculi, *quorum audaciæ acutam vafritiem coniunctam* diximus: igitur obseruanda diligenter ac speculanda sunt & ingenia eorum & consilia. Equidem *cum in eo conueniant*, quod nihil pensi moderatique habent, quod nullum facinus extimescunt aut ignorant, *hactenus tamen distingui videntur*, quod eorum *aliqui magnam speciem præferunt, penitusque sub vulpe latent*; qualem, *Sullam Velleius* 2, 17. *it*: 2, 25, 3; *Seianum, Tacitus* præsertim 4 A. 1 depingit (cui Noster hactenus congruit, quod *actu otiosis simillimum* facit, idque in laude

laude ponit, cum nondum essent detecta eius flagitia) *aliqui magis ingeniose exercent nequitiam, quam studiose occultant*, sicut Curio Velleii, *homo ingeniosissime nequam* 2,48,3; & quem Curioni comparat Cælius 2,68,1.

15. *Quartum*, ex iis quæ constituimus *genus*, destituitur illa nota, quæ alias inquietis & turbatoribus communis est ac propria, (*audaciam* dico *exequendi*) & tamen merito iis annumeratur: cum voluntate turbulenta & vtantur ipsi assidue, & talibus consiliis delectentur. *A talibus vix est magnopere timendum*: cum nec ipsi ferme aliquid audeant, nec audentibus constanter præsto sint. Vnde prudenter Cicero cum descripsisset eiusmodi hominem, *paruo scilicet animo & praua, catullatorem genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculum, nihil agentem cum rep. seiunctum ab optimatibus*; adiicit: *ab hoc nihil speres boni reip. quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet. lib. 1. epist. ad Attic. 13.* *quidam ignaue inquieti.*

16. Petenda etiam est obseruatio distinctionis *ex ipso proposito & fine* hominum: quem non vnum sequuntur, qui res nouas cupiunt. *Aliis* enim, præter *Sed & proposito speciali differunt inquieti.*

æmulationem & depressionem aduersarii nihil videtur propositum: *quosdam* dominationis spes & dignitatis vnice instigat: *aliquibus* popularis gratia & famæ applausus pro præmio est: *nonnulli* vltionem inimicorum, cædes, incendia, animo hauserunt: *nonnemines* plura ex istis inuitamentis simul in prauum abstrahunt: *sunt* & animi tam proiecti impotentisq; homines, quibus hocipsum, quieta mouisse scilicet, sine mercede magna merces videtur: *denique* multos per se minus turbidos, æs alienum aliaue necessitudo in transuersum agit, vt præsentem statum odisse, nouum optare, & pollicentibus auscultare incipiant: ne dicam *de consuetudine vulgi* & multitudinis, quæ ad leuem auram obiectam turbida & nouandis rebus alacris esse solet. Sed hæc posteriora minus huc pertinent, cum hac ratione nullum hominum genus sit, à quo non imminere aliquando periculum possit reip.

Ex qua distinctione pendebit dispensatio remediorum.

17. De cetero magna pars erit remedii, *obseruasse mature ingenia rebus nouis prona siue facilia*, & *distinxisse*. nam ex illa diuersitate tota ἀντιπεριστάσεως, (de qua & capite præcedenti aliquid actum est) dispensa-

pensatio pendeat necesse est. Debet tamen, quod statim & serio monemus, hic quoque sine suspicione tyrannica res geri, præsertim in monarchia: vbi solenne est magistris dominationis, *erecta & viuida ingenia pro ferocibus & inquietis; strenuos & præclare meritos viros pro seditiosis traducere.* Pro qua solicitudine, satius esset boni imperii ac disciplinæ auctoritatem præsidiumque amplecti: legumque præsertim in libera rep. sanctitatem auxiliumque sancte tueri; quippe quibus saluis haud facile nouis consiliis locus est.

18. Quod si reuera timendi caussæ aderunt, aut erupturi olim motus indicia fese ostenderunt, omnis resistendi prudentia & obuiandi redibit ad *arcanum*, vt nunc ita loquar, *dissociationis, dissimulationis, maturationis.* nam de *seueritate*, quæ iudiciis congruit, iam diximus. Ex *dissociationis arcano* fluunt ista: *seponere ministerii specie & honoris, qui turbæ & turbarum duces metuuntur; præmiis & pollicitationibus & officiis beneuolentiæ in bonorum castra & familiaritatem nonnullos pertrahere: discordias inter eiusdem animi consiliique homines struere: eminentiores infamiæ metu obiecto distinere*, sicut apud *Sallustium* Cicero

Cuius artes referuntur partim ad arcanum dissociationis:

cap. 5.

falsum indicem Crasso creditus est immisisse, *ne is, more suo, suscepto malorum patrocinio remp. conturbaret. Catil.* 48. quæ tam singularis consilii sollertia, nobis licet festinantibus non prætereunda fuit.

partim ad arcanum dissimulationis:

19. *Dissimulationis arcano* includuntur: ὠτακουσταὶ *siue emissi clanculum speculatores, qui specie notitiæ, familiaritatis, negotiorum in secretas destinationes penetrent: inquisitio tota clam peracta & inter maximas prouisiones otium simulatum: dispositæ & ordinatæ sine vllo hominum aut rerū motu præsidia*: quæque ad hanc formam alia passim occurunt. Singulare est & in hoc quoque negotio vtiliter imitandum Agesilai commentum, quo is à defectione, quosdam suorum continuit. *Nam cum quidam adolescentuli hostium aduentu perterriti ad Thebanos transfugere vellent, & locum extra vrbem editum cepissent; Agesilaus qui perniciosissimum fore videret, si animaduersum esset, quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit, atque vt si bono animo fecissent, laudauit consilium eorum, quod eum locum occupassent, & se id quoque fieri debere animaduertisse. Sic adolescentulos simulata laudatione recuperauit, & adiunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. namque*

illi

illi aucti numero eorum, qui expertes erant consilii, commouere se non sunt ausi, eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quæ cogitarant. Cornel. Nep. Agesil. 6, 2 & 3. Eundem ad modum, inquam, facta scilicet ad ingenium negotii comparatione, recuperandi sunt etiam in rep. aliquando, qui deterioribus consiliis animum conatumque applicuisse deprehenduntur.

20. Ad *Maturationem* pertinet, quod iam antea circa deprehensa pernicioſa consilia indicauimus *redemta nimirum fori mora præsentiori & extemporali vindicta.* de qua in *crimine maiestatis* plura. Interim potius prouidendum est, ne huc deueniatur: *intendenda, quoties opus est, legum & magistratuum auctoritas; coërcenda omnis inciuilis elatio: popularitatis delinimenta præcidenda: potentia nobilium obseruanda: necessitates populi cum querelis amputandæ: otiosæ manus negotio exercendæ: influens in remp. sentina vilissimorum hominum exhaurienda: nihil nunciatæ rei negligendum: nihil differendum: in herba opprimendum, si quid emicuerit: & in illa festinatione nihil turbandum, nihil præcipitandum*: quæque alia, præsertim orto iam tumultu & cognitis prauorum hominum consiliis, passim

partim ad arcanum Maturationis.

cap. 5.

passim apud Politicos tractantur, cum de *seditionibus* agunt.

Denique cum quieto ingenio praditi aliquando ad res nouas conuitari soleant,

21. Antequam hinc abeamus, notandum est: *multos in rep. Rom. nouis rebus studuisse, non tam suo ingenio & indole ductos, quam vitio reip. & corruptissima ciuitatis disciplina inuitatos.* quod in Catilinaria coniuratione non omisit notare *Sallustius.* Licet enim tum princeps sceleris Catilina cum aliis nonnullis animo tali esset, qualis seditiosus merito censetur & dicitur, multi tamen fauebant nouis molitionibus, quos vera æstimatione non tam inquieta natura quam consuetudo sæculi & solis iam ambitiosis artibus parabilis gloria in partes traxit. Si propiora nobis tempora introspicimus, quid multorum animis reuerentiam excussit? quid in sacrosancta Principum capita percussorum manus armauit? Sane non semper, inquietum turbidumque ingenium, sed virtutis specie & pietatis instillata quietis per se animis impietas. Notiora sunt, quam vt hic exponi debeant, horrenda sacerrimi dogmatis exempla: quo ciuibus in Reges, ambiguis fallacibusque de causis, potestas vindicata; quid potestas? latuisset forte sub

coercendi sunt magistri turbarum, specie sanctitatis Reip securitatem connellentes.

isto

cap. 5.

isto velamento crudelitas, si iuris disceptatio ὑπευθύνους potius, quam καταφάτους fecisset rerum Dominos: sed vis commendata est, sed insidiæ, sed publicum parricidium placuere. Nihil tale, tali schemate, tali loco auditum est, à condito orbe: vt hoc vnum sufficiat ad infamandum supra ceteras ætates, nostrum æuum. Quocirca non satis erit ad custodienda regni sacra, ad tuendam maiestatem Deo proximam & carissimam, turbulenta ingenia ciuium obseruare, sed turbarum artifices illi & magistri, qui nec ciues, & supra Dominos esse volunt, qui miris technis turbulentum faciunt, quidquid quietum est, vitandi studiose atque coërcendi sunt.

CAP. VI.

I.

De Vulgaribus ingeniis, respectu ciuilis prudentiæ considerandis, alii egere.

EXpediuimus hactenus, ea quam argumentum capere potest philosophia, *de Heroicis & singularibus ingeniis*; tum deinde, *proximæ præstantiæ compotes, viros Eximios* considerauimus; *de Vulgi indole & multitudinis* nunc dicendum esset, nisi istius tractationis fontes, qua ad ciuilem Prudentiam pertinent, in accuratissimi

operis sui Politici *lib. 4 cap. 5 Lipsius* reclusisset. Cetera varietas notationum in infinitum patet, neque tam in vnius libelli spatium contrahi, quam ad obseruationem perpetuam vbique commendari debet. Modo enim *tota descriptio* χαρακτηριστικὴ occurrit; *modo sensus talis & sententia*; modo *expresse* id agitur *& in formula*; modo *occultius & in fundamento*.

Cetera *in infinitum patet* varietas:

2. Obseruabis & illam differentiam: cum aliquando *virtus*, tum autem *virtutis distinctio*; rursum, *virtutis comparatio*; alibi *coniunctio virtutis*; est, vbi *actus virtutis aut virtutum*, notatur. Intellige semper, quæ de virtute dicimus, etiam *de dotibus ingenii artibusque*: &, pro mutua contrarij declaratione, *de vitio*. *Virtutes* e. g. *singulas* notat in Silio *Velleius*, cum *optimum ciuem, simplicissimum ducem* vocat 21, 116, 4. *Distinguit virtutem* cum alibi non *industrium* vniuersim, sed *quiete industrium*, appellat *actu otiosis similimum* 2, 127, 4; & alia περιφράσει, *qui quæ agenda sunt, curet sine vlla ostentatione agendi* 2, 98, 3. Item cum *eloquentissimum* modo, (2, 13, 1) modo *eloquentia medium* 2, 29, 3. modo *facundum malo publico* nominat 2, 48, 3. *fulgentissimumque & cæleste os Ciceronis*, à

tractanturq; variis modis illi, characteres politici:

uis, à Canutii continua rabie separat 2, 64, 3. *Comparat mores artesque* e. g. *Bruti Cassiique* 2, 72, 2. *Coniungit* vel *complectendo* vt cum *in omnia virtutum exempla genitus* 2, 11, 2 *vir in tantum laudandus, in quantum intelligi virtus potest* 1, 9, 3 memoratur: vel *miscendo*, vt cum *mixta Grauitati comitas* describitur in 2, 116, 3 *valensque in otium & negotium indoles.* 2, 88, 2. 2, 98, 3. 2, 105, 3. Ipsum *actum, grauiter constanterque prudentis* exhibet in illis: *at imperator optimus eorum quæ agebat iudex, & vtilia speciosis præferens & in omnibus bellis quæ probanda essent, non quæ vtique probarentur sequens*, &c. 2, 113, 2. *adde* 2, 115, 5. 2, 120, 1.

3. Iam quanta varietas nascitur ex diuersitate *propositorum, euentuum, aliarumque rerum, quæ humanas voluntates in agendo consulendoque regunt aut comitantur, actusque humanos ipsos, sicut diuersa lineamenta vultus, distinguunt?* Ad qualia exempla degredi nunc non est animus. sic quoque verendum est, ne quis λεπτολογώτερον ista dicta esse existimet. Nisi quod dudum nobis sedet, in his scriptionibus aliquando grauitatis iacturam facere, si illud dispendium ad iuuentutis monendæ inque penitiorem obseruandi

de quibus nunc non agendum est.

curam excitandæ compendium valere posse intelligamus. Suppleri interim nonnulla possunt ex iis, quæ scripsimus in *Dissertatione de Politicis Lipsianis cap.* 3.

Est autem amplissimi vsus illa obseruatio:

4. Illud subinde notandum est, multaque diligentia monendum: Vsum talium notationum tam late diffusum esse, quam late patet Prudentia ipsa ciuilis, ad quam omnia, vt ab initio huius tractationis aiebamus, referenda, neque ἠθικῶς tantum examinanda sunt. In hoc subsidio sæpe totius argumenti intelligentia constituitur: sicut e. g. *Sallustius coniurationem Catilinariam, non nisi ab Auctoris charactere, vt ita dicam, politico, auspicandam duxit. de huius hominis moribus,* inquit, *pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.* Scilicet malarum, callidarum, impiarum actionum atque cogitationum originem demonstratam ante omnia oportuit ac fontem in animo moribusque Catilinæ, vnde tanta in remp. pernicies extitit postea ac dimanauit. Id quod nobilissimus quisque Historicorum sibi attendendum arbitratus est.

sed difficilis:

5. Cum autem *multiplices hominum naturæ, iudicium de rebus faciant difficile,*

cile, fatente *Tullio* ad *Brut. ep.* 1: danda cumprimis opera erit ne vel similitudo confusionis vel ignorantia plurium, quæ sciri debebant, aberrationis occasio fiat, cum præsertim, secundum *Fabium instit. orat.* 2, 12, etiam *sit quædam virtutum vitiorumque vicinia, qua maledicus pro libero, temerarius pro forti, effusus pro copioso accipitur. Sunt* imo *vitia quædam virtutes imitantia, quæ non possunt secerni, nisi signa, quibus dignoscantur, impresseris*, verbis & iudicio *Senecæ* 1 *de clem.* 3. Itaque videas interdum de vno eodemque homine, alios magnifice, alios abiecte sentire. *Multis enim simulationum inuolucris tegitur & quasi velis quibusdam obtenditur vnius cuiusque natura*, inquit rursum verissime *Cicero ad Q. frat. lib.* 1 *ep.* 1 *cap.* 5.

6. Itaque veteres varia excogitarunt huius obseruationis adminicula, *notasque præsertim corporum ad inuestigandas indolis animique notas* adhibuere. Cuius curæ pleni sunt elegantissimi *Characteres Isacii Porphyrogeniti*, quos *libro* 5 *Variarum Lectionum cap.* 20 *edidit Rutgersius*. Verum, cum satis constet, *pleraque ἐπισήμης φυσιογνωμονικῆς, siue eius artis, quæ ex notis corporis secreta animorum interpretatur, minus esse hodie,*

ideoque pro subsidio diligentia comparanda est studiosis Prudentiæ.

hodie, quam olim, perspecta atque explorata: itaque antiquius nobis esse debet iudicium, quod ex actu ciuili petitur. Nemo enim certe se adeo & semper occultare potest, quin ad recte obseruantes & perite iudicantes multa sui ingenii prodat indicia. Quæ in historia inprimis accurate sunt & copiose attendenda, sollerter comparanda inter se & contendenda, denique prudenter applicanda.

FINIS.

SPECIAL

88-B
1857
bound w/
88-B
1860

THE GETTY CENTER
LIBRARY